



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 I
15
6-12.D.38

IX a 24

Digitized by Google

44. Q. 29

Digitized by Google

PETRI CASTELLANI MAGNI FRANCIÆ ELEEMOSYNARII VITA,

AVCTORE PETRO GALLANDIO
regio Latinarum literarum Professore.

STEPHANVS BALVZIVS Tutelensis nunc primùm edidit & Notis illustravit.

Accedunt Petri Castellani orationes duæ habitæ in funere
Francisci primi Regis Francorum Christianissimi,
literarum & artium parentis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE





PARISIIS
Apud FRANCISCVM MVGVET. Regis & illustrissimi
Archiepiscopi Parisiensis Typographum.

MDCLXXIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

1.5

Digitized by Google



STEPHANI BALVZII
TVTELENSIS
PRÆFATIO AD LECTOREM.



ETRI CASTELLANI vita, quam tibi damus, Lector, ita eleganter atque ornatè ſcripta eſt ut ei obtigiſſe omnino videatur illa felicitas quam Achilli, qui rerum à ſe bene geſtarum præconem nactus erat Homerum, invidiſſe Alexandrum Magnum tradit Flavius Vopiſcus in Probo. Verùm ut planè perſuaſum habeo plurimam ex iſtius libri lectione voluptatem ſimul & utilitatem capturos eos qui ad illum legendum accedent, ita valde vereor ne nonnullis diſpliceat immoderata Caſtellani in dicendo libertas, iis præſertim locis in quibus ſermo incidit de Romanis Pontificibus. Optandum fortaſſis eſſet ut iſta omiſſa à Gallandio fuiſſent; neque animus eſt ea approbare. Illud tantùm ab æquis lec-



Digitized by Google

toribus postulo, ne ex paucis paulò asperioribus verbis quæ viro magno exciderunt, adversùs eum præjudicent, néve hinc colligant eum malo animo aut pravo affectu in has sententias erupisse. Nam qui alicubi, ut erat natura vehemens, acerbè & contumeliosè invehitur in Pontifices Romanos illorum temporum, magnificè postea, & id quidem in aliquot locis, ne casus videri possit, de summa eorum & sedis apostolicæ dignitate & auctoritate sentit, cum qua necessariò retinendam esse communionem verbis minimè ambiguis profitetur. Neque sanè mirum videri cuipiam debet eum vehementiùs commoveri solitum adversùs Pontifices Romanos, cùm nec ab Augustino quidem Hipponensi Episcopo se abstinuerit; quem ita inimicè insectatur ut præterquam quòd eum bonarum artium magis non ignorantem quàm peritum dici posse prædicat, adeóque ejus lucubrationes citra fastidium legi vix posse ab homine liberaliter in literis educato, præterea linguarum ignoratione somniasse frequenter atque etiam delirasse sacra explicando asseverarit; ut Gallandius ait in capite XXVII. istius libri.

Nihil heic ex meo addidi. Tantùm notas temporum adjunxi quibus quæque res contigere; in quibus designandis Gallan-

dius fuit admodum parcus. Addidi deinde narrationem pompæ funebris Francisci primi Regis Christianissimi, cujus auctorem esse Castellanum reperi in veteribus memoriis illorum temporum, & duas orationes ab eo habitas in laudem maximi Principis, literarum & artium parentis.

Superest ut tecum paucis agam de libro ipso, hoc est, quomodo in manus meas pervenerit. Vir clarissimus & doctissimus (quod me citra adulationem verè dicere omnes docti facilè intelligunt) Carolus du Fresne Dominus du Cange & Franciæ apud Ambianos Quæstor eum apud se diù habuit, illum ipsum, ut opinari licet, qui Margaretæ Francisci Regis filiæ oblatus fuit. Poterat ille, qui tot bonos auctores vel primus edidit vel meliores dedit, suam operam heic collocare utiliter in publicum. Sed sive difficultate temporis victus, occupatissimus alioqui in paranda nova editione annalium Zonaræ & Glossarii Latino-Barbari, immensi operis ac laboris, seu quia mihi pro amicitia nostra gratificari voluit, librum hunc mihi dedit, potestatémque fecit edendi. Ego verò nolui committere ut diutiùs lateret, præsertim cùm agnoscerem permulta illic extare scitu dignissima quorum nulla alibi mentio. Ea fuit occasio istius editionis.

De Gallandio quoque heic nonnulla dicenda sunt; ne qui librum hunc scribendo effecit ne Castellanus periret, neglectus à nobis esse videatur. Fuit igitur Gallandius natione Belga, ex oppido Aëria in pago Atrebatensi, ut scribit Aubertus Miræus. Becodiani apud Lutetiam collegij moderator & instaurator fuit, regiúsque literarum Latinarum Professor, & cathedralis Ecclesiæ Parisiensis Canonicus. Mortuus est anno MDLIX. dysenteriæ morbo oppressus, ut colligi potest ex epitaphio quod ei posuit Ioachimus Bellaius. Extant variæ ejus lucubrationes editæ, quarum catalogum habet Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica. Inter eas eminere videtur collectio auctorum qui de limitibus agrorum scripsere, quam ille unà cum Adriano Turnebo accuravit, solus dedicavit. Quò magis mirum est virum clarissimum Nicolaum Rigaltium, cùm hos libros rursum ederet, totam istius editionis gloriam refudisse in Turnebum, Gallandio ne nominato quidem. Addere porrò volui hoc loco fragmentum ex oratione à Gallandio habita in funere Francisci primi, ne quid heic desit eorum quæ ille scripsit de Petro Castellano.

GALLANDII FRAGMENTVM DE CASTELLANO.

FErant ceteri animis æquis, nec ſe propterea contemni putent, ſi ex infinito doctorum hominum acervo quos ſibi doctrinæ nomine familiares eſſe voluit, quibuſcum cotidianos ſermones contulit, quorúmque recitationibus & interpretationibus frequens interfuit, unum P. Caſtellanum Matiſconen. Pontificem, quem propter admirabilem rerum omnium atque artium cognitionem, vitæ innocentiam, integritatem & continentiam ſingularem, amore & familiaritate tanto tempore ceteris omnibus antetulit, nominatim appellamus. Ignoſcant, inquam, ſi in hoc genere laudis ejus unius nomen uſurpamus, à quo ut in vita toties præclara bene vivendi documenta acceperat, ita in morte ab uno eodem viam ex hac vita ad cœlum feliciter emigrandi doceri, & demum in ſinum ejus extremum ſpiritum effundere voluerit. *Et infrà, de Henrico ſecundo Rege loquens*: Ne quid obitu patris literæ detrimenti capiant, ut non minùs quàm jus & imperium floreant, patris exemplum ſequutus, eas rurſus Matiſconenſium antiſtiti quaſi in clientelam tra-

Digitized by Google

didit, útque ille earum custos, Professorum censor, & tanquam Apollo quidam Musarum choro præsideret, imperavit.



ILLVST.

Digitized by Google



ILLVSTRISSIMÆ PRINCIPI

MARGARETÆ FRANCIÆ,

BITVRIGVM DVCI,

HENRICI REGIS SORORI VNICÆ, omnibus virtutis doctrinæque insignibus ornatæ, Petrus Gallandius regius Latinarum literarum Professor perpetuam felicitatem exoptat.

ROMA
VITTORIO EMANUELE



VM multa sunt à Philosophis tradita, quibus à vitiis abduci & ad virtutem incitari queamus, Illustrissima Princeps, tum nihil est efficacius quàm virtute & doctrina admi-

Digitized by Google

rabilis viri dictorum factorúmque ex diserta descriptione non obscura recordatio. Quæ enim sunt ab illis præclarè quidem & salutariter scripta, sed affectibus animorum orationísque floribus vacua cùm delectandi commovendíque viribus careant, nescio quo modo frigidiora sentiuntur, nec facilè in animos legentium penetrant, neque iis altiùs insident. At viri excellentis illustria tum dicta tum facta verborum aliqua venere condita vivum nescio quid spirant, & eas admirationes, expectationes, molestias, gaudia, spésque, & timores excitant ut inter legendum nobis vehementer doleat iis aliquando laborantibus non esse succursum, præclara verò gerentibus & ex his laudem insignem consequentibus nos ipsos egregij laboris non fuisse participes & socios. Ex quarum rerum commemoratione veluti aculeis quibusdam extimulati generosorum animi non possunt non incitatissimo cursu ad eorum virtutem consequendam contendere. Ad quam ut

nostrorum hominum animos erigeremus, tuo mandato parentes, electissima & serenissima virgo, & nostro amori, quo ut singulari, ita mutuo, Castellanum clientem familiarem tuum prosequuti sumus, obsequentes, anno superiore, cùm per morbum diuturnum & molestum, à quo supra sex menses lectulo adfixi nihil eorum quæ erant usitata obire possemus, ejus vitam describere aggreßi sumus. Cujus incomparabili gloriæ etsi scio me propter orationis inopiam conferre non posse quod propter præstantem olim artem Alexandro, in eo pingendo Apelles, & fingendo Lysippus, malui tamen quod meis viribus impar esset suscipiendo ineptè officiosus quàm imperanti tibi negando inhumanus atque in ipsum Castellanum parum gratus videri. Vnum est quod hominibus qui in hoc genere præter res bello gestas nihil mirantur persuasum velim, in hujus hominis vita literis ferè & religioni addicta posteris ad memoriam atque imitationem ea esse

prodita quæ cùm ad usum vitæ factis militaribus multò magis sunt profutura, ab eo qui ea nosset & describere posset silentio præteriri sine scelere non possent. Neque rursus audiendos puto qui in hominum ecclesiasticorum ordine solos Pontifices Summos & Cardinales dignos esse putant quorum vita literarum monumentis mandata ab interitu & hominum oblivione vindicetur; cùm contrà non magistratus & dignitates, ad quas hodie ferè nemo nisi per magnam indignitatem pervenit, majore etiam eas gerit, sed virtutem unicam in omni conditione vitæ laudare oporteat, & à sacris scriptoribus, ut hoc loco prophanos taceam, non minùs eos qui in privata tenuique vita virtute & doctrina ceteris præluxerunt, quàm qui opibus & primis honorum fastigiis clari fuerunt, decantatos esse & laudibus celebratos videamus. Porrò qui attentè diligentérque considerare volet quanta sit ea persona quam apud summos Principes patrem & fi-

lium in aula tot præclaris ingeniis doctiſ-que hominibus redundante virtute tantùm & doctrina fretus ſuſtinuit, quantúmque ſit magni Eleemoſynarij munus, ſi quis id quod ille fecit, pro dignitate obire velit, ejus vitam nequaquam contrahendam & in anguſtum deducendam eſſe judicabit. Quæ etſi ſcio prima ſpecie iis parum probatum iri qui de eo non ſatis familiariter noto aliam perſuaſionem quàm ejus vitæ integritas merebatur induerant, non tamen fore dubito quin ſi quæ ſcribimus affectibus vacui ex vero judicio ad tenue elimata legerint, noſtræ tandem ſententiæ ſubſcribant atque eadem nobiſcum probent. Quæ cùm ex conſuetudine, quæ cum eo annis duodecim intima mihi interceſſit, tum ex ejus clientibus & familiaribus, tum etiam vel maximè ex ejus ore mihi planè nota eſſent, putavi fore ut niſi quod tu caſtitatis, temperantiæ, doctrinæ, omníſque virtutis & ſapientiæ muliebris illuſtre ſpecimen juberes, ego reciperem, nefas in me

nullis ſacris expiandum admiſiſſe judicarer. In quo ſi tibi, cujus in femina virgine linguæ Latinæ peritiam, artiúmque omnium ſcientiam non vulgarem, judicium, prudentiam ſummam, ut reliquas animi tui dotes hoc loco taceam, omnes admirantur, ſatisfactum erit, nos multorum judicia ſatis æqua experturos eſſe confidimus. Reliquum eſt igitur, quod ardentibus votis exoptamus, ut hoc conſilio citra ullam aſſentationem ex vero de clariſſimo viro ſuſcepta meditatio ab obtrectatoribus, quibus in vita admirabilis virtutis ejus fulgor oculos præſtringebat, tui nominis auctoritate & patrocinio, veluti Minervæ clypeo, tuta eſſe poſſit. Cui cùm quæcunque à me hîc ſcripta ſunt æquè ac mihi ipſi ſpectata ſint, & parum ſit ſimile veri de mortuo, me præſertim ad te ſcribentem mentiri voluiſſe, neminem earum laudum quas illi cumulamus obtrectatorem fore arbitror, niſi qui vel nos omni judicio ſpoliare vel ſeipſum ſummæ olim invidentiæ, nunc etiam

importuni odij & projectæ impudentiæ condemnare velit. Quorum alterum non facilè iis qui nos norunt, aut qui pravo affectu vacui ista legent, persuasum iri spero; alterum autem temerè tanti mali sui auctoribus tanquam crucem perpetuam, in qua se torqueant, veritatis conscius lubens relinquo.

AD EANDEM.

SI sacra sunt suspensa deûm donaria templis,
Tutáque majestas numinis illa facit,
Doctrina & virtute tui miranda clientis
Vita, dicata tibi, & nomine scripta tuo,
Non poterit, divûm sata sanguine, nominis umbra
Tecta tui, linguas temnere zoileas.
Sacra parente sacro es, sacra fratre, augustius unquam
Nil quibus aspexit sol neque terra tulit.
Es quoque sacra novem, quas tu venerаris amásque,
Musis, qúæque tuum nomen ad astra ferunt.
Sacra choro Charitum, quarum gremióque sinúque

Fota, deûm ſpiras nectar & ambroſiam.
Sacra pudicitia es, ſacra virtutum agmine denſo,
Apta quibus veluti ſydera magna micas.
Ad majora etiam ſacra te pia fata reſervant,
Conjugio ſacro Martia tela premes.
Aurea felicis, te interveniente Sabina,
Reddita Chriſticolis otia pacis erunt.
Hæc ergo in vitam, te ut Palladis ægide tecta,
Vita tuis felix exeat auſpiciis.



Digitized by Google



PETRI CASTELLANI

MAGNI FRANCIÆ ELEEMOSYNARII

VITA,

A PETRO GALLANDIO LITERARVM LATINARVM regio Professore conscripta.

I. X antiqua & nobili Hauverderiorum familia in Belgis, qui vicini Nerviis Francorum lingua utuntur, & Burgundionum Ducibus jam olim parent, Quintinus Castellanus Petri Castellani pater ortus est; apud quos cùm vernaculo in prædiis beneficiariis & fundis clientelaribus inter

Digitized by Google

nobiles uſurpato jure ad primogenitos omnia redeant, ne diſtractis ad multos poſſeſſionibus paulatim nomen, dignitas, & opes familiæ extinguantur, Quintinus, qui natu minimus erat, externa aliunde auxilia circumſpicere & rationem qua paria cum ſuis majoribus facere poſſet inire coactus eſt. Itaque nobilium more & inſtituto arma ſecutus, ad Carolum Burgundionum Ducem belli gloria & opibus illis temporibus florentem ſe applicavit, & quoad vixit ejus auſpiciis, in turmis Philippi Molani è Ducibus ejus nominis primi, eques auratus magna ſcientiæ militaris & fortitudinis laude ſtipendia fecit. Is tandem Archij, quod Burgundiæ oppidum eſt, uxore ducta, & conſtituta familia, mediocribúſque poſſeſſionibus comparatis, duos filios genuit Emericum & Petrum Caſtellanos.

II. Petro ſtatim poſt annum unum mater, poſt ſextum verò pater fato concedentes admodum incommodè ſunt erepti. Nam per tutores non ea fide & diligentia qua parentes ipſi potuiſſent patrimonium pupillorum adminiſtratum eſt, nec eadem cura & vigilantia ſunt educati. Itaque ultra annum decimum in domo paterna citra cuſtodis aut præceptoris operam retentus, quadam tandem ſuorum æqualium,

quos Divione ſcholam illis temporibus celebrem frequentare audiebat, æmulatione & diſcendi ſtudio incenſus, ut literis & bonis artibus inſtitueretur, eò traductus, & Turrello ſcholæ principi, multis artibus inſigni, ſed mathematicorum ſcientia præcipuè nobili, in diſciplinam traditus eſt; apud quem brevi tempore ita in ſtudiis literarum promovit ut ſuis præceptoribus magnæ admirationi eſſet, ceteris verò condiſcipulis omnibus inſigni, quo ad literarum ſtudia excitarentur, exemplo. Quo tempore propter ingenij non ſubtilitatem modò & acumen egregium, verùm etiam propter amœnitatem moréſque ſuaviſſimos, ab omnibus æqualibus ita diligebatur ut ejus nomine certatim literas amarent, ejus æmulatione longiùs progredi inter ſe contenderent. Itaque in illum aut memoriter pronuntiantem aut aliquid à ſe ſcriptum recitantem aut diſputantem omnes intueri, de collo ambulantis pendere, eum affectari, & ſemper in oculis habere.

III. Poſt triennium, cùm audiendis præceptoribus ea Latinè intelligendi & loquendi fundamenta poſuiſſet ut facilè barbariſmi & ſolœciſmi vitium effugeret, privato ſtudio delectatus, ſuo, quod aiunt, marte bonos auctores evolvere & ſecum commentando ſtylum variè exercere cœ-

pit. Itaque cùm in Auli Gellij noctes Atticas incidisset Græcis vocibus sententiísque passim sparsas, alphabetum Græcum à Germano quodam adolescente primùm nactus, ita divinam ingenij sui aciem in Græcarum literarum elementis cognoscendis defixit ut duarum horarum spatio Græcè legere didicerit, & hinc à medico medicinam ibi factitante Lexicon Græcum consecutus, paucis diebus cognita vocabulorum quamplurimorum significatione, Græca propemodum omnia Gellij noctibus inserta intellexerit. Atque ex eo tempore, citra aliam præceptorum, qui in schola docebant, operam, privato suo studio ita brevi in literis Græcis profecit ut per se Græcos auctores interpretaretur & par esset in Græcæ & Latinæ orationis facultate.

IV. Incredibili erat & intelligendi quæcunque legeret & memoria complectendi facultate præditus. quæ duo summa ingenij bona inusitata diligentia facilè memoria reddebat, ut cuicunque hæc familiariter nota essent, futurum eum olim clarissimum pronuntiaret. Quæ rara & incredibilis ejus ingenij vis Turrellum doctum Mathematicum adduxit ut expenso diligenter nativitatis ejus momento, ex ea ratione qua futura prædicere Astrologi so-

lent, & magnum eum aliquando evaſurum neque tamen ad ſenectutem perventurum prædiceret.

V. Poſt annum ſextum quàm in literis verſatus eſt, docere & profiteri publicè Divione auſpiciis ipſius Turrelli cœpit cum magno non adoleſcentum modò verùm etiam gravium hominum omnium ordinum applauſu. Cùmque illis temporibus Turrellus præceptor impietatis accuſaretur, quòd contra jura canonica & civilia, contráque ſacras literas, ex aſtris fata hominibus eventura prædicere diceretur, ipſe ſingulari pietate præditus, calore juvenili efferveſcens, veluti egregius Ciconiæ parenti nutritia perſolvens pullus, defenſionem ſui præceptoris profeſſus ad judicum ſubſellia laureatus acceſſit. Ibi eloquentia planè adoleſcentis captum ſuperante de aſtrologia & ejus prædictionibus diſſeruit. Aſtrologiam quidem duplicem eſſe; unam quæ ortus, occaſus, acceſſus & receſſus, varióſque aſtrorum motus conſiderat; ex quibus lucis & tenebrarum vias, horas, dies, noctes, menſes, annos, eorúmque partes, diſcrimina, & hinc rerum omnium adminiſtrandarum tempora colligimus, ex quibus etiam terræ totius magnitudinem, ſitum, intervalla, quibuſque cœli partibus, qúæque ejus ſpa-

tia reſpondeant, quantum inter ſe regiones diſtent, quóve aëris temperamento ſint, ut differant, peragrari, coli, & defendi poſſint, cognoſcimus; altera ad prædictionem rerum futurarum ex aſtris pertinet. De priore, quin eſſet ſalutaris & neceſſaria excolendæ hominum vitæ, neminem ambigere. Alteram verò, ſi intra naturæ cancellos ſe contineat, & divinæ providentiæ poteſtatíque faſces ſubmittens nihil neceſſariò eventurum pronuntiet, nequaquam etiam repudiandam eſſe. Quibus poſitis, duo prædictionum genera conſtituenda. primum, quod in mundo & natura cauſas habet. alterum, quod ſine cauſis naturalibus divina & futura prædicit. Et prius quidem genus prædictionum naturalibus principiis & cauſis firmatum, primùm in genere ſuorum effectuum veritatem oſtendere, ut cùm magnos æſtus effici, ortu, occaſu, & conjunctione ſiccorum planetarum in ſignis calidis, & ſpirantibus Aquilonibus ſerenitatem, aut contrà humidis orientibus aut occidentibus, in ſignis calidis congredientibus, magnam diluvionem aquarum, & flantibus Auſtris imbres de cœlo ruituros pronuntiat, atque etiam peſtem morbóſque varios ex aëre, infauſto hoc aſtrorum poſitu, congreſſu, aut influxu corrupto,

vel Thaletis Milesij exemplo, ex aliqua alia astrorum affectione, olei, vini, frugum penuriam aut abundantiam futuram prædicit. Quo prædicendi modo in genere constituto, non etiam repugnare menti divinæ & sacris literis, observato diligenter nativitatis cujusque horoscopo, quæ sit ad quamque rem cuique propensio, quæ cuique à natura impendeant, quos astra perniciosè aut salutariter aspiciant. Quæ si ita modestè dicantur ut supra vim astrorum Deus collocetur, qui quando vult invertit omnem naturæ & mundi totius vim, & servat in mediis fluctibus & flammis electos suos, atque etiam ut arbitrij libertati in hominibus sua prærogativa conservetur, nihil in se maleficij admittere qui ex his signis in cœlo & astris à Deo conditis ea ad quæ homines propendent modestè pronuntiant. Neque enim in eo violari divinam providentiam, sed magis constitui, cùm ea non frustra esse in cœlo posita, sed hos in corpora effectus habere à Deo attributos dicimus, ita tamen ut non solùm extra hæc, verùm etiam contra hæc Deus quando vult rerum scenam & seriem immutet, iis in bello frequenter victoriam tribuat quibus in horoscopo Mars infeliciter positus erat, quíque maximè omnibus humanis auxiliis de-

ſtituti videbantur, & ſapientes, ut Socratem illum, vi voluntatis liberæ cura, educatione, legibus, conſuetudine, non ſolùm has inclinationes & propenſiones debilitare, ſed etiam frangere & in contrarium convertere conſueviſſe. Verùm cùm hominum major pars, ut pecudes, naturæ propenſiones ſequantur, ex quibus pauci inveniantur qui adversùs appetitiones & impetus naturæ rationem opponant, eáque velut frenis coërceant & regant, non omnino ineptè, diligenter inſpectis in conceptu & natali cujuſque aſtris, prædici & ſignificari quo naturæ temperamento futurus ſit, quídve aſtra illi aut benignè promittant aut acerbè minentur. Et quamquam in aſtris multa homines lateant, atque de quibuſdam principiis aſtrologiæ non ſatis inter omnes conveniat, eſſe tamen in his aliquid certi, in quibus cordati, periti, & docti minùs quàm indocti & ardeliones allucinentur, atque etiam in quibus cauſæ propter obſcuritatem non ſatis cognitæ ſunt, propter effectus tamen longa experientia cognitos, aliquid ex his prædici poſſe, quæ ſecum conferentes & ſibi accommodantes, quibus prædicitur, ſæpe vera eſſe deprehendunt; & hinc ad Deum & liberam ſuam voluntatem confugientes ſuos affe-
ctus

ctus temperant, & velut in gyrum rationis flectunt. qua ratione exitiosa hæc fata declinant. Hæc omnia in sacris literis oraculo etiam divino cùm dicantur esse condita ut hominibus signa sint, aliquid significent esse necesse; quæ si prudenter & modestè, quantum imbecillitas humana fert, à Mathematicis explicentur, ad Dei cognitionem venerationémque, & ad vitam humanam sapientiùs instituendam conformandámque, & declinanda maxima mala quæ naturis vitiosis impendeant, valere neminem inficiari posse. Hactenus de prima prædictionis specie. Restare autem secundam, nullas causas in cœlo & natura habentem; quæ in alia duo genera iterum dividenda esset; quorum unum legibus civilibus ecclesiasticísque & sacris insuper libris prohibitum, meritò detestandum & execrandum esset, quòd incantationibus, sortibus, dæmonum invocationibus, consultationibúsque & auguriis exerceri solitum, varias species haberet; quibus qui utantur, quòd cum cacodæmonibus nullam nobis pactionem intercedere Deus velit, omnibus pœnis atque suppliciis excruciandos esse, & ex aliorum consortio ejiciendos. Alterum autem genus duabus constare partibus, furoris instinctu, & insomniis. utrumque sacris li-

teris probatum. Sanctis enim hominibus & ſpiritu Dei plenis, ab omni contagione rerum humanarum velut abſtractis & ſecretis, Deum frequenter ſeipſum & ſua patefacere etiam vigilantibus. Quem furorem poëtæ, ſacræ literæ ſpiritum Domini, ἐνθουσιασμὸν Græci appellant. Idem altera ſpecie in ſomnis accidere dormientibus. cujus utriuſque exempla in ſacris literis paſſim obvia eſſent; de quibus eo loco ſibi agendum eſſe non putaret. Priori illo genere in mundo cauſas certas habente, ratione & ſcientia firmato, ex quo non oblectationem modò ſed incredibiles utilitates homines percipiunt, citra ullam impietatem, ſuperſtitionem, aut maleficium præceptorem ſuum vitam hominis excolere, & Deucalionis Prometheíque exemplo tanquam fictiles animare ſtatuas, & ex lapidibus homines, imò in hac vita caduca rerum cœleſtium participes reddere, & cum immortalibus ſpiritibus cœlo inſerere, dignum non multa aliqua, ignominia, aut ſupplicio, ſed gloria illuſtri, & præmio quo benemeriti de Republica cives, ut Athenis olim in Prytaneo, affici conſuevere.

VI. Quem ita differentem incomparabili quadam eloquentia & animi magna incitatione cùm audiviſſent judices, qui ad ſævitiam inflammati, ut ferè fit in rebus

quæ ad religionem ſpectant, ad damnandum reum ad tribunal venerant, ita ſtupentes & attoniti redditi ſunt ut vix verbum ullum proloqui poſſent. Itaque quod olim à Cicerone Caio Cæſari accidiſſe in judicio Ligarij commemoratur, qui Caſtellanum ante cauſæ dictionem ſolùm audiendum conſuetudinis cauſa, & ne averſando inhumani ſpem piæ & generoſæ juventutis extinguere viderentur, ita, eo perorante, & vultu & animo immutati ſunt ut non modò de abſolutione Turrelli, ſed etiam de adoleſcente generoſo & diſerto laude & præmio ornando cogitarent. Inter quos cùm ſederet Boudetus Lingonenſis antiſtes, homo doctus, advocatis aliquot Theologis adoleſcentem non vulgariter laudavit, & honorario munere donatum dimiſit.

VII. Hoc rerum ſucceſſu elatior factus, atque etiam in ſpem erectior aliquando futurum ut eloquentiæ & multarum artium doctrina clarus fortunis honoribúſque ornaretur, aliquò ſibi concedendum putavit, ubi & majorem ingenij cultum capere & aliquo rerum uſu peritior aliquando ad ſuos reverti poſſet. Erat eo tempore magna Eraſmi fama & renaſcentium per eum in Germania literarum. Cùmque ejus viſendæ atque etiam Italiæ

magno desiderio teneretur, postquam diversis in locis in Germania cum doctis congressus esset, ad Erasmum Basileæ apud Frobenium agentem se convertit. Qui cùm uno atque altero congressu Castellanum longè alium quàm primo aspectu speraverat expertus esset, eum Frobenio commendavit, atque ut honesto loco & stipendio sibi in emendandis Græcis Latinísque exemplaribus adjutor esset effecit. Hic juvenis Erasmicæ gloriæ æmulatione & ejus salsis in ingenia Gallica, quibus parum in literis tribuebat, cavillationibus incensus, noctes & dies in Græcarum literarum Theologiæque atque omnis humanioris doctrinæ commentatione ita versabatur ut Erasmum satis præcipitanter commentantem & è Græco non probè intellecta in Latinum sermonem malè vertentem frequenter suorum erratorum admoneret. Quæ ille, qui plurimum Castellani opera uteretur, cùm agnoscere atque emendare ejus admonitu cogeretur, plurimum illi tribuebat atque deferebat. Memini Castellanum mihi frequenter dicere Erasmum in literis Græcis supra vulgus tum parum promovisse, in auctoribus qui ab usu communi remoti essent insigniter hæsitavisse. Itaque quæ ex illis vertebat aut commentabatur, majore ex parte ad-

juvantibus doctis, qui ei hanc operam navabant, præstitisse. Secuta Basileæ & aliis in Germaniæ locis tragica è templis imaginum exturbatione, & variis de religione tumultibus exortis, cùm Erasmum, Basilea relicta, Friburgum proficiscentem animadverteret, ipse quoque (postquam publicè concionatorem seditiosum confutasset) in quietiora pacatioráque loca demigrare statuit.

VIII. Itaque eo animo in patriam reversus ut Italiam peteret, rogatus à quibusdam principibus in Senatu Divionensi viris ut animum ad studia legum & juris civilis adjungeret, eam unam viam ad florentes opes honoréſque magnis ingeniis stratam, sibi nobiles & bene educatos liberos esse, quos si Biturigas ad Alciatum nobilem juris professorem sequi non recusaret, nullum benignitatis genus in se clausum iri experturum, Alciati nomine imprimis excitatus, conditionem non est aspernatus. Quò tantisper dum se comparat, ne otiosus desideret, Divione publicè divi Pauli ad Romanos epistolam Græcè interpretatus est.

IX. Versabatur in ædibus honorati & primarij cujusdam civis, cui puella erat forma admodum venusta & eleganti; à qua frequenter multis illecebris ad amores

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& voluptatem invitabatur. Itaque etſi ea erat virtutis & continentiæ indole ut voluptates omnes reſpueret, omnémque vitæ curſum in labore corporis atque animi contentione conficeret, nihílque in vita magis quàm dedecus & infamiam reformidaret, tantis tamen puellæ blandimentis, quibus non modò adoleſcentia lubrica, verùm etiam ætas corroborata caperetur, captus, eam gravidam reddidit. Quod ubi cognovit, nihil antiquius ducens quàm ut cui juvenili cupiditate incenſus ſtuprum obtulerat, citra ignominiam, quantum fieri poſſet, conſuleret, ſenili quadam prudentia ad matrem acceſſit; culpam confeſſus, & veniam precatus, per omnia ſacra rogare cœpit honeſta aliqua occaſione in eum locum filiam abduceret ubi citra infamiæ notam clam parere & citra turpitudinis ſuſpicionem in ædes paternas reverti poſſet. Quod ita matris prudentia adminiſtratum eſt ut non modò alios ſed & patrem ipſum flagitium latuerit, & anno poſtquam puella enixa eſt, in matrimonium honeſtiſſimè collocata ſit; & qui ex ea puer ſuſceptus eſt, ad Caſtellani fratrem Emericum recens natus deportatus, & ab eodem pro ſuo ita educatus eſt ut præter eos quibus Caſtellanus ipſe id patefacere voluerit, nemo unquam ex eo na-

tum suspicatus sit. Quæ tanta in consulendo honori puellæ prudentia & tegendo flagitio industria me adduxit ut ne hanc quidem adolescentiæ labem silentio prætereundam esse existimarem.

X. Biturigas profectus, celeberrimo juris civilis doctori Alciato, qui se non modò auditoribus ad docendum dabat, sed etiam consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat, in juris civilis studio bonam operam dedit. In quo exiguo tempore tantum profecit, quod & publicè disputando & privatim cum eo conferendo & communicando omnibus notum fuit, ut ejus ingenium diligentiámque valde admiraretur, nec indignum judicaret cujus in suis scriptis honoris causa mentionem faceret. Nam quamquam ad studia legum & juris civilis non admodum genius ejus inclinaret, propter tamen doctoris præstantiam, qui elegantiam doctrinæ cum juris scientia conjunxerat, libenter ejus studio multum operæ dandum existimabat. Quin etiam cùm jam animo sibi magna destinaret, & eum locum aliquando se obtenturum confideret qui à nemine pro dignitate defendi posset nisi qui artium omnium scientia excultus ornatúsque esset, hujus quoque partis disciplinæ imperitus videri nolebat. Memini eum frequen-

ter mihi dicere ſe neutiquam eo animo juri civili operam dediſſe ut vel illud aliquando profiteretur, vel ejus auxiliis ſubnixus aut cauſas in foro ageret, aut his dijudicandis diſceptator ſederet, aut ad quævis alia reipublicæ gubernacula ex juris ſcientia tractanda admoveretur. Ab eo primùm fuiſſe abſterritum latifundiis commentariorum multa inſanè miſcentium & confundentium. Deinde quòd ipſum jus civile, ut ſcriptum eſt, eorum opera qui, quæ latè apud antiquos Jureconſultos diffuſa erant, veluti in hoc compendium redigere voluerunt, valde truncatum & mutilatum perplexúmque & involutum eſſet, neque ſatis certæ rationis artificio diſpoſitum. Poſtremò quòd à rabulis & pragmaticis partim ita detortum & contaminatum, partim etiam ita moribus & conſuetudinibus antiquatum, ut ad judicandum ex æquo & bono exiguum uſum haberet, ad conturbandum verò & offundendam tanquam hominibus caliginem & reddendos litigioſos potiùs quàm bonos & juſtos non parum efficax & utile videretur. Eſſe quidem plurima in eo hominis docti lectione & cognitione non indigna, ſed ut ea ratione qua Platonis de Republica libri in manus ſumantur. E republica verò vel maximè futurum ut Principum auctoritate

novum jus vernaculum, tum ex eo, tum ex moribus atque edictis regiis, adhibitis æquis, doctis, & peritis hominibus, constitueretur, & hæc intricata, sinuosa, ancépsque judicandi forma, populo universo jam olim exitiosa, corrigeretur.

XI. Utebatur familiariter Comite Tonoriensi Episcopo Pictaviensi designato, qui tum in eodem legum studio Alciato quoque operam dabat; quem etiam politioris doctrinæ literas Græcas & Latinas subcesivis horis docebat. Nam ad has veluti ad certam stationem semper revertebatur, & pertinaci obstinatóque studio totas ferè noctes transmittebat. Qui cum eo domesticè vixere ejus contubernales frequenter mihi commemorarunt ita eum libris affixum etiam per noctem fuisse ut singulis noctibus vix quieti horas tres impenderet, eásque non in lectulo molli pluma aut linteis cubans, sed humi penula sua capite involuto projectus, nullo cervicali supposito, transigeret. Ex somno expergefactum ad libros tanquam helluonem inexplebilem converti solitum, neque cujusquam admonitu ab instituto unquam revocari potuisse.

XII. Percurso legum veluti stadio, cum eo Episcopo Lutetiam reversus, incredibili visendæ Italiæ desiderio flagrabat.

Cùm enim ab ea ad ceteras præcipuè Occidentis gentes imperium, religionem, leges, literas, & humanitatem profecta intelligeret, atque etiamnum in eadem admirabilia antiquitatis venerandæ monimenta adſervari & conſpici audiret, quibus & clarorum virorum, qui ibi floruerunt, & rerum egregiarum, quæ ibidem geſtæ ſunt, recordatione animi generoſi & doceri & commoveri ſolent, non exiſtimabat ejus eſſe qui in literis principatum affectaret, & ad magnum aliquem rerum gradum per literas aſpiraret, de Roma atque Italia terrarum olim regina potiùs famæ quàm oculis ſuis credere. Quam cùm obire & perluſtrare, non ut privatus & ignobilis, ſed auctoritate & nomine magni alicujus viri fultus, aut in ejus familiam tranſcriptus, cuperet, commodè Epiſcopus Altiſſiodorenſis, homo literarum & doctorum hominum amans, legationem regiam obiens, ſeſe obtulit, & honeſta conditione propoſita Caſtellanum, quo in literis uteretur, ſibi adjunxit. Erat enim hoc ſollenne Franciſco Regi ut ad exteras gentes nullum Legatum dimitteret qui non & literarum ſtudia amplecteretur & doctrinæ plurimum eſſet conſecutus; quòd his ignoratis, nihil rectè geri poſſe arbitraretur. Cum hoc Epiſcopo menſibus ali-

quot Romæ, donec Romam & Romanensium mores probè perſpexiſſet, ſubſtitit. Quibus brevi exploratis & cognitis, cùm omnia ferè præter antiquitatis veſtigia quædam improbaret, miſſionem & veniam à regio Legato, ut Venetias proficiſceretur, impetravit.

XIII. Memini eum aliquando, cùm Pontificum Romanorum ſupinas libidines, avaritiam, & rapacitatem, religionis contemptum, ſuperbiámque Cardinalium, luxum, & ignaviam, nundinationéſque, cauponationes, & flagitia reliqua aulicorum Romanenſium deſcriberet, & cetera quæ tunc vidiſſet commemoraret, ita animo concitari & indignatione commoveri conſueviſſe ut ei non modò in facie color, ſed & toto corpore geſtus motúſque immutarentur; ut etiam mihi frequenter diceret ſibi eſſe perſuaſſimum ne Pontifices quidem Romanos religionis & ſacrorum antiſtites, tot ſuis ſuorúmque flagitiis ſceleribúſque contaminatos, verè & ex animo Chriſtum colere; quæ autem in religione facerent, retinendæ dominationis cauſa, veluti larva ad fallendum appoſita, egregiè ſimulare.

XIV. Venetiis rebus quæ ibi admirandæ viſuntur contemplandis dies aliquot ſubſtitit, tantam urbem miratus in

mediis aquis conditam, quod ſine numine aliquo propitio fieri non potuiſſe affirmamabat, laudare ſolitus in ea auguſtum ante omnia Senatum, & templa divis ſacra religiosè culta, quòdque optimis legibus & magiſtratibus ita effloreſceret ut meritò oculus totius Occidentis dici poſſet. Satis extollere non poterat quòd ea tot legationibus exterarum gentium commerciiſque ita frequentaretur ut mundi cujuſdam inſtar univerſa repræſentare poſſet quæ alibi diverſis in locis ſingula magna admiratione ſpectantur. Ædificia navalia, armamentaria, & propugnacula, vitæque communis inſtituta, mores, & diſciplinam ad cœlum laudibus efferebat.

XV. Dum hæc diligentiùs omnia exquirit, ab Epiſcopo & civibus Leucoſiæ in Cypro illius inſulæ urbis primariæ hominem Græcæ linguæ non imperitum, Latinæ non vulgariter doctum, qui Ciceronem Latinóſque Rhetoras Poëtaſque & Hiſtoricos interpretaretur, expeti propoſito ducentorum ducatorum ſtipendio audit. Quam occaſionem pulcherrimam ejus inſulæ videndæ regionúmque vicinarum, quibus veterum libri referti ſunt, perluſtrandarum ſibi oblatam gaudens, Laſcaris hominis Græcè doctiſſimi impulſu conditionem cupidè accipit, atque ac-

ceptis ab eodem literis in Cyprum navigat; ubi biennium commoratus, benignèque ab hominibus ejus insulæ acceptus, certatímque à nobilibus domum invitatus, magno cum applausu toto biennio auditus est. Quo exacto, ut Ulyssem quendam Homericum urbibus & moribus variarum gentium cognoscendis referret, in Ægyptum magno Cypriorum dolore & sui desiderio navigare constituit.

XVI. Itaque navim quandam Genuensis mercatoris divitis & liberalis nactus, à Cypro Alexandriam, emporium olim longè celeberrimum, vento secundo delatus est. Hinc Memphim, quæ Alcaïrum hodie dicitur, urbem longè amplissimam, ut quæ multis vicis & castellis inter se certo intervallo distantibus conflata sit, cum his mercatoribus qui gregatim atque etiam armatis stipati, propter incursiones latronum, iter faciunt proficiscens, cùm ab iis aquæ quærendæ causa, in magno solis æstu sitiens, cum tribus comitibus deflexisset, circumventus cum his, pecunia & vestibus spoliatus, & omnino nudus, vita precario obtenta, emissus est. Qua calamitate affectus cùm rursum mercatorum catervam, quam caravanam vocant, assecutus esset, suámque adversam fortunam iis patefecisset, ab

uno ex iis ſectæ Mahumeticæ magnas ei opes pollicente ſagittam cuſpide cœlo obverſa erecto digito ut acciperet invitatus eſt. His enim ceremoniis ſolent Mahumeti cultores homines ſuæ religionis initiare; quo veluti ſacramento qui auctorati ſunt, Mahumetiſmum neceſſe eſt ita profiteantur ut ab eo poſtea, niſi certam mortem obire velint, reſilire non poſſint. Quod cùm intelligeret, magna conſtantia, invitatore ægerrimè ferente, eam inaugurationem averſatus eſt. Quod Græca mulier camelis aliquot merces vehens Chriſtum profeſſa cùm animadvertiſſet, Caſtellanum vehementer collaudavit, & pro ſua tenuitate veſtitu & viatico eum inſtruxit, útque Memphi ad quendam Francum opibus & gratia florentem, prætorij iſtic Turcici primum apparitorem, in ſuæ gentis homines propenſum & liberalem ſe conferret, monuit.

XVII. Erat is in Boiis in Gallia natus, multis antè annis, dum piratas, ut patrem ab iis apud Stœchades inſulas interceptum in libertatem vindicaret, cupidiùs quàm prudentiùs cum multis aliis perſequitur, eorum qui in reductis maris anfractibus latebant inſidiis exceptus, in Ægyptum abductus, & propter formæ pulchritudinem & virtutis non vulgarem ſignificationem

provinciæ Præſidi dono datus, & demum ab eodem prætorij accenſus primus creatus fuerat. Qui ut primùm Caſtellanum Francum eſſe didicit, & ex ejus ſermone & vultu ingenij felicitatem perſpexit, domum ſuam invitatum, ſplendidèque & lautè exceptum, pecunia, veſtitu, atque equo generoſo donavit. Hic decennio pòſt, cùm clam ſua convaſaſſet, & Ægypto relicta in patriam remigrare, bonis omnibus navi impoſitis, Ægyptiorum exceptus inſidiis, rerum omnium inops, omnibus amiſſis in Galliam evaſit; & per Caſtellanum Regi commendatus, ſtatim inter Cubicularios adſcriptus, duobus aureorum millibus inſuper donatus eſt, & aliis beneficiis auctus.



XVIII. Ejus gratia & commendatione Caſtellanus, cùm Memphi eſſet, Alexandro quodam parentibus Chriſtianis nato, ex his Turcæ Imperatoris ſatellitibus qui Janizeri appellantur, duce, equo inſidens, quod in Chriſtianis ejus generis homines ferre non ſolent, quæcunque ibi ſpectatu aut cognitu digna erant, omnia diligenter conſpexit & cognovit. Ante omnia de felicitate ejus provinciæ, de natura Nili, incrementis, & decrementis, (Nam ibi, flantibus Etheſiis, circa caniculæ ortum, duos ferè menſes egit) déque ejus opibus,

Digitized by Google

quæ ex mercibus ex India, Arabia, Æthiopia per mare rubrum, & aliunde etiam per Nilum importantur, de religione gentis, moribus, & administratione rerum sic disserebat ut & indigenam Ægypti & in aula Turcici illic Legati educatum diceres. Rerum statum, qui ibi tum sub præfectis Turcicis erat, cum eo qui olim sub Sultanis à Mammalucis in Reges eligi solitis splendidissimus & compositissimus visebatur, comparabat. Turcicum præsentem avaritia, tyrannide, & omni libidinum spurcitia infamem execrabatur. Sultanicum verò elegantem humanitatísque plenum laudibus efferebat. Ex Platonis enim & Aristotelis sententia non potuisse eos malè aliis imperare qui aliquando modestè aliorum imperio paruissent; nec fieri posse ut qui aliquo tempore se imperaturos sperarent, aliter quàm alacriter & fideliter parerent, dictitabat.

XIX. In Ægypto cùm didicisset esse Constantinopoli apud Turcarum Imperatorem Forestanum regium Legatum, cujus occasione Franci non solùm ibi tuti, verùm etiam grati essent, ad majorem rerum cognitionem consequendam eò iter ingredi statuit. Sed cùm incredibili gentium regionumque videndarum cupiditate flagraret, & ante omnia Judæam, Palæstinam,

ſtinam, totamque Syriam, tot ſacris aliiſ-que literarum monimentis decantatam, & potiſſimùm ſacroſanctum Ieſu Chriſti Servatoris noſtri conditorium intueri atque adorare cuperet; per Arabiam petræam eò terra profectus eſt. Hieroſolymis menſes duos ſubſtitit, ut ibi eo tempore eſſet quo Chriſtiani è diverſis orbis terrarum regionibus, Arabes, Æthiopes, Indi, Armenij, Græci, Latini diverſo ritu & ceremoniis Chriſti in crucem ſuffixi ſpectaculum edere conſueverunt. quod iis jejuniis, precibus, lamentationibus, planctibus, totiúſque corporis ſqualore attritionéque ab iis atratis & ſordidatis repræſentari aiebat ut quicunque pius ea commemorantem audiviſſet, toto corpore perhorreſceret.

XX. Hinc equo inſidens, quo Memphi à prætorij Turcici accenſo principe, cujus antè meminimus, donatus fuerat, Damaſcum cum aliquot tum Italis tum Græcis comitibus proficiſcens, in prædones Arabicos vias obſidentes illapſus, ita eorum corona cinctus cum ſociis & concluſus eſt ut effugiendi ſpes exigua relicta videretur. Quod cùm animadverteret, ſuóſque comites metu debilitatos ac fractos videret, oratione generoſa eos ad fortiter reſiſtendum latronibus exhortatus, equo calcaribus admiſſo, tanto impetu in

hoſtes illatus eſt ut qui ex inſidiis numero plures & ad pugnam inſtructiores venerant, perterrefacti, incitatiſſimo curſu ad devia & abrupta ſaxis loca refugerent. In quorum fugientium turbam mediam cùm equo tenaci, ore indomito, nec freno obtemperante, ita invectus eſſet ut donec locorum anguſtiis & aſperitate excluderetur, ad ſuos reverti non poſſet, magnæ & hoſtibus formidini & ſuis admirationi fuit. Quod enim (quod ille non ſine riſu narrare, neque Rex ſine oblectatione ſumma audire poterat) ferocis equi importuna contumacia admiſſum erat, & feliciter ceſſerat, illi Francicæ gentis mortis & periculorum contemptricis fortitudini jam olim illic decantatæ aſcribebant. Accidit ut inſequente nocte, eorum explorata via, domo ruſtica clauſos prædones adorirentur, útque eos domunculæ ſeptis eductos faciliùs in tenebris opprimerent, divulſis tecti tegulis, in ſubjectos de loco ſuperiore varia tela conjicerent; quos ut effugerent, cùm ceteri oppugnationem non ferendam, ſed fuga latè facta ſalutem quærendam eſſe exiſtimarent, ab eo conſilio ceteros deduxit, circumdantibus domunculam hoſtibus locorum peritiſſimis in fuga ſalutis nullam ſpem eſſe oſtendit, præſidio ſtabili & firmo, donec diluceſceret,

domum tenendam esse, adventuros aurora prima ex agris rusticos, locum exiguum à paucis, quibus arma non deessent, interim defendi posse, animos modò colligerent, neque in alia re quàm fortiter propugnando salutem positam putarent. Quorum animos cùm hac oratione erexisset, & ad præliandum alacres reddidisset, ipse disploso sclopeto unum è latronibus per jam patentes parietum rimas in brachio graviter consauciavit. quod secundò cùm repetivisset, convolantibus jam ad tumultum undique rusticis, omnes in fugam convertit.

XXI. Damasco per Antiochiam totum Issicum sinum emensus, Iconium, quod Ciliciæ oppidum est, pervenit: ubi cùm ex cœli intemperie, itineris molestia, & pravo victu, in acutissimam febrim continuam incidisset, qua in extremum vitæ discrimen conjectus videbatur, demum pro desperato & conclamato à comitibus Constantinopolim properantibus relictus est. Diversabatur apud Iudæum quendam suæ religionis & sectæ cultorem obstinatissimum, cetera virum bonum & humanum. Hic cùm physiognomon esset ex eo hominum genere qui se profitentur hominum mores naturásque & hinc fata atque eventus ex corpore, oculis, vultu, & fron-

te cognoſcere, & medicinam factitaret, viderétque ingenium eſſe in Caſtellano haudquaquam vulgare & in eo elucere ſpeciem rari nec inuſitati hominis, nullum non humanitatis genus in illum exercebat. Frequens illi aderat, pharmaca etiam miſcebat, & deglutienda porrigebat; quæ ad victum neceſſaria erant, atque omnem tractationis elegantiam & munditiem pertinebant, liberaliter ſuppeditabat. Cùmque Caſtellanum ſæpe bono eſſe animo juſſiſſet, demum propter atrocitatem morbi vitæ ejus diffidere cœpit. Qua deſperatione malè affectus, ad lectulum ægrotantis accedens, ſibi moleſtiſſimum eſſe dicere aggreſſus eſt quòd quæ noviſſima conſolatio & præcipua malorúmque omnium levamen adhiberi ſolet, eo excluderetur, aliam ſe de Deo perſuaſionem induiſſe, à qua Caſtellanus alienus eſſet, ſe, ne ei moleſtiam pareret, quem in ſua religione obſtinatum videret, ea de re nullum verbum facturum, ſed Deum ſuum ex animo precaturum ut ei auxilio eſſe vellet. Cui cùm Caſtellanus pro ſumma liberalitate & humanitate immortales gratias egiſſet, nec admodum ea conſolatione egere ſe reſpondiſſet, ut qui Chriſtum Servatorem ſuum præſentem oculis animi intueretur, & pectori impreſ-

ſum ita geſtaret ut nulla ratione eximi aut evelli poſſet, facilè acquievit; & de religione ſilentium faciens, hoſpitalitatis officiis omnibus, donec probè convaluiſſet & confirmatus eſſet, eum proſequi nunquam deſtitit.

XXII. Iconio per Aſiam minorem Conſtantinopolim ut pervenit, per eos mercatores qui eum in Ægypto & in Syria noverant ad Foreſtanum deductus, & eidem commendatus, ſtatim ingenij ſui amœnitate, morum facilitate, oratione diſerta prudentiæ plena, atque in primis linguæ Græcæ peritia maxima notus & carus eſſe cœpit. Itaque faſtiditis iis ejus linguæ interpretibus quorum opera antea utebatur, quaſi glande abjecta repertis frugibus, eum in delitiis habuit. Poſtremò cùm in Gallias reverti ſtatuiſſet, cum literis quibus Regem de rebus graviſſimis certiorem reddebat, aliíſque honorificis quibus eum cùm Regi tum proceribus aulæ enixè commendabat, dimiſit. Venetiis tranſiens, alias quoque commendatitias ad eoſdem ab Epiſcopo Vaurenſi regio illic Legato accepit. Regi cum his literis, tum etiam per Epiſcopum Pictavienſem Comitem Tonorienſem, apud quem ſe, ut olim, recipiebat, atque etiam per Cardinalem Bellaium, propter virtutem do-

ctrinámque eximiam & rerum multarum experientiam ita commendatus est ut de variis rebus differentem & sermocinantem avidissimis auribus Rex inter cœnandum & prandendum eum audiret, & repudiatis aliorum opinionibus, in ejus sententiam descenderet.

XXIII. Accidit iisdem temporibus ut de navigatione in Callicutium, Taprobanem, Molucas insulas, & Indiam extremam apud Regem disputatio incideret. Cùmque navigationum periti, præter eam viam qua Lusitani ab Hesperidibus in Austrum conversi, totius Africæ litoribus circum emensis, per promontorium quod Bonam spem appellant, ad maris rubri ostia in eas regiones penetrarent, aliam ambitis Germaniæ, Sarmatiæ, & Scythiæ litoribus per polum arcticum esse asseverarent, errare eos manifestè cum tota antiquitate, quæ idem olim persuasum habebat, convicit. Per hunc enim polum, quòd circa eum terra perpetua sit citra æquinoctialem, in Indiam navigandi nullam facultatem esse demonstravit. Nam quòd mare glacie astrictum retardare aut impedire navium cursum & obstruere adferunt, nihil ad rem pertinere, quòd id non in Oceano, sed Codano sinu, quò per Daniam in Gothiam, Suetiam, Lappiám-

que, & Sarmatiam, aliásque septentrionales gentes navigatur, contingeret. Verùm aliam, quam illi ignorarent, multò & breviorem & faciliorem esse evidenti demonstratione docuit. Nempe à Gadibus & freti Herculei angustiis dextrorsum, relicto ad sinistrum polo antarctico versùs Occidentem ad fretum Magellanicum velificando, donec decursis trecentorum milliarium in longitudinem ejus angustiis, rursum ad medium cœli spatium cursum convertendo, in Indiam & orientales populos perveniretur. Quod in plano cùm non ita facilè demonstrari possit, in sphæra suis climatis & parallelis certa proportione ad cœli rationem accommodatis & totam terram in orbem in se undequaque recurrentem conglobantibus tam planum atque apertum Regi reddidit ut vehementer ejus ingenium industriámque admiraretur & collaudaret, & magna cum benevolentiæ significatione ad differendum de rebus propositis invitaret. Cùmque essent qui, ejus felicitati invidentes, silentium ei imperare contenderent, atque ab hoc de rebus omnibus apud Regem dicendi instituto deterrere pararent, per filium natu maximum Delphinum Rex ipse eum hortatus est ut intrepidè & constanter ad suam mensam loqueretur, neque cujusquam in-

terpellatione aut minis de ſententia deduceretur.

XXIV. Accidit poſt aliquot menſes quàm in aulam regiam veniſſet ut & Epiſcopus Pictavienſis, quo Mæcenate utebatur, fato ſuo fungeretur, & Iacobus Colinus regius anagnoſtes propter verba quædam intemperanter & nimis futiliter emiſſa, quibus proceres aulæ inter ſe commiſerat, excluderetur, aut certè Regis gratia obſcuriùs uteretur. Itaque Caſtellanus, qui jam non mediocriter Regi gratus erat, & proceribus aulæ, non modò doctrinæ virtutíſque nomine, ſed etiam in odium Colini, non inviſus, in illius locum facilè ſubrogatus eſt. Quem locum tantum abeſt (quod non ſemel mihi ingenuè confeſſus eſt) ut ambierit, aut ſuo judicio, priuſquam à Rege ſibi deferretur, probaverit, ut ſi ſuo genio obſequi ſibi integrum fuiſſet, ſagatam quàm togatam vitam & militarem quam eccleſiaſticam, in qua pleroſque ferè omnes flagitioſè verſari videbat, ſequi maluiſſet. Itaque accitus à Rege, & interrogatus qua in re jam patrono orbatus ſibi operam navare vellet, Regem rogavit ſibi ut præfecturam aliquam equitum velitarium demandaret, ſe & libris lectitandis, & aliquo uſu rei militaris, tum noſtræ, tum gentium exterarum, eam

ſcientiam tenere, ut ſe ſuam operam Regi facilè probare poſſe confideret. Cui cùm Rex expoſuiſſet ſe ejus operam ad præſtantiora requirere, Muſis eum conſecraſſe, eo literarum omnium intimo interprete atque anagnoſte uti conſtituiſſe, acquievit, & ſe quæ Regi collubita eſſent facturum reſpondit. Ex quo tempore eam curam, meditationem, & diligentiam ad exornandam, quæ oblata erat, Spartam adhibuit ut non neceſſitate ad id genus vitæ detruſus, ſed judicio & voluntate invitatus videretur. Qua in re, quod olim à Philoſophis ſæpius dictum eſt, facto ſuo comprobavit nullum eſſe naturæ tantum impedimentum quod non generoſus animi conatus exercitatione & conſuetudine, magis etiam ſapientia & ratione, exſuperet.

XXV. Hanc enim perſonam ubi tanti Regis judicio & voluntate ſibi impoſitam eſſe vidit, noctes & dies, veluti Prometheus Caucaſo, ſe rurſum libris affixit, nullum non auctorum genus in omnibus linguis ita manibus pervolutavit ut in ſingulis totam vitam contriviſſe quivis etiam exercitatiſſimus eum diceret. Atque ut, quem animo deſtinarat, literarum principatum faciliùs conſequeretur, eam victus rationem inſtituit qua, minimè crapula gravatus, nec longo ſomno indigeret, neque

interdiu ſtomachi cruditate neque fumorum redundantia cerebrum infeſtante laboraret. Platonis itaque ad Dionis propinquos conſilium ſecutus, qui vetat bis die ſaturum eſſe, ſemper prandio abſtinens, circa horam à meridie quintam cœnabat, ſumpto octava matutina panis fruſto, & epoto vini cyatho. quàm rectè ad veram & integram corporis ſanitatem, cùm ad mortem ejus ventum erit, diſputabimus. Poſt cœnam aliquantum cum amicis & convivis confabulando ſeſe oblectabat. Hinc Franciſco Regi ad quietem ſe comparanti Latinas Græcáſque hiſtorias & tragœdias ad verbum penè vertens interpretabatur; & dormiturienti aſſidens inter legendum præclari alicujus loci ſententíæve explicatione, tanquam emodulata Pythagoreorum muſica, eum ad quietem tranquillam deterſis curis omnibus & perturbationibus componebat. Tres ipſe horas, quatuor ad ſummum dormiebat; quibus exactis, nocte intempeſta excitatus in horam decimam, donec Rex ſacris operaretur, in literarum ſtudia indefeſſus incumbebat. Prandenti Regi ferè ſemper aſtabat; & ad ea quæ in percontando ab eo ponebantur ſic reſpondere ſolitus erat ut facilè quivis naris non obeſæ eum omnia ingenio ſummo, acerrimis ſtudiis, at-

que usu maximo cognita & perspecta habere judicasset. Huc accesserat vocis ea lenitas, vultus gestúsque compositi decor, & sermonis comitas, elegantia, & gratia, ut, quod de Pericle prodidit Eupolis, Pithô quandam flexanimam in ejus labris sessitare homines putarent. Itaque quoties disserebat, Regem, silentibus aliis omnibus, in eum oculos conjicere, ex ejus ore veluti auribus suspensum pendere, & singula verba ab eo emissa tanquam oracula probare animadvertisses.

XXVI. Hoc officio functus ad illustrissimam Principem & virginem electissimam Margaretam Regis filiam omni laudis genere cumulatam se convertebat, quæ, inter eximias alias virtutes quibus ceteris feminis antecellebat, quòd literas unicè amaret, & tanquam Zenobia, Cornificia, Sulpitia, atque aliæ tantopere tum à Græcis tum à Romanis decantatæ coleret & toto pectore amplecteretur, (quòd inter tot aulicas illecebras splendidáque ornamenta satis ille mirari & laudare non poterat) omnis humanitatis auctoribus interpretandis ei quotidie duas horas operam dabat. Quam tanta ejus discendi aviditate & sua docendi assiduitate ita provectam in literis reddidit ut præstantes omnis generis auctores brevi suo, quod aiunt, marte in-

telligere & explicare potuerit; ut demum cùm explicandis iis nihil novi adferret, necesse habuerit scholas Græcorum more habere & theses ei rerum illustrium Aristotelica imitatione disputare.

XXVII. A Rege igitur in hunc locum cooptatus, ante omnia certam studiorum suorum rationem instituit, quam, quantumvis magnis occurrentibus negotiis, nunquam postea intermissam semper secutus est. Ea autem ejusmodi fuit ut Aristotelis imitatione, qui ut matutino tempore ἀκροάματα, post meridiem ἐξωτερικὰ tractabat, sic ipse mane literas sacras, philosophiam, & mathematica amplecteretur, pomeridiano tempore oratores, historicos, & poëtas evolueret. Itaque statim è somno excitatus ad Biblia Hebraica, quibus duas horas dabat, quotidie se convertebat; quibus exactis, novo testamento legendo & scriptoribus sacris Græcis, potissimùm qui in utrumque testamentum commentati essent, horas totidem impendebat. E Latinis divum Hieronymum plurimi faciebat, non modò quòd ceteris eloquentior esset, verùm etiam quòd omnibus artium liberalium scientia facilè anteiret. Nam ut divum Augustinum contra hæreticos de hominis Christiani justificatione disputando proximè ad divi Pauli

ſententiam acceſſiſſe fatebatur, ita linguarum ignoratione ſomniaſſe frequenter atque etiam deliraſſe ſacra explicando aſſeverabat; cùmque bonarum artium magis non ignorans quam peritus dici poſſet, non ſatis idoneum eſſe judicabat cui de artibus diſſerenti legendo tempus ab eo tranſmitteretur qui minimè otio abundaret. Eam quoque ſtili Auguſtiniani anfractuoſam ſinuoſitatem eſſe & ſermonis omni elegantia vacui impuritatem addebat ut ab homine liberaliter in literis educato citra faſtidium legi vix poſſet.

XXVIII. Hoc ſacrarum literarum penſo exacto, reliquum antemeridiani temporis philoſophiæ, mathematicis, aliiſque rebus gravioribus, & Deo, eccleſiaſtico more, precibus placando, dabat. Poſt meridiem quicquid temporis vacui erat ab ea ſtudiorum communicatione & bonorum auctorum explicatione quam in gratiam Sereniſſimæ Principis Margaretæ ante cœnam, atque etiam Regis ipſius ante ſomnum ſuſcipiebat, uſque dum quieti ſe traderet, legendis oratoribus, poëtis, & hiſtoricis, tum Græcis, tum Latinis, conſumebat. Quòd ſi Regi, vel ipſi Margaretæ, aut aliis alioqui rebus præter ſpem occurrentibus diutiùs quam conſueviſſet vacando, quotidianæ lectionis in his au-

ctoribus pensum non exegisset, in cubiculum reversus, priusquam somnum capesseret, id exequebatur. Ita quicquid quovis modo de constituto penso intermissum esset, vel horis subcesivis, vel iis ipsis quæ somno destinatæ essent sarciebat. Itaque cùm adeo parcus & providus temporis dispensator esset ut non modò nullum diem sine linea, quod Apelles factitabat, sed sine stato dimenso non minore diligentia quàm certo ordine transmitteret, novum testamentum, & quæ ad illud attinere putabat, singulis mensibus totum, Bibliorum autem Hebraïcorum, aliorúmque in omnibus artibus auctorum, quorum ante meminimus, cursum biennio quoque conficiebat. Quibus hac ratione ad calcem à fronte perductis, ad eosdem de integro tanquam à carceribus ad metam recurrebat. Ita legendo, meditando, communicando, sacris operando, vacuum nullum temporis momentum effluere sinebat. Neque solùm in hoc incubuit ut doctrina multiplici, bonarum artium scientia ceteris præstaret; verùm etiam ut simplici vitæ cultu, innocentia, castitate, justitia, temperantia, ceterísque virtutibus ornatus, à nemine meritò reprehendi posset.

XXIX. Primùm omnium inter scribas & ministros cubicularios Regis coop-

tatus, mille ducentorum Francicorum stipendio insuper à Rege constituto contentus, familiam exiguam sine ullo strepitu aut tumultu communi mensa domi magna continentia alere decrevit. Morem enim aulicum, quo famulis in singulos dies alimentorum causa quinos aut quaternos numos distribuunt, vehementer improbabat, quòd hac ratione ad compotationes, aleam, scortationes, omnémque nequitiam fenestram iis patefieri dictitaret; ne cum meretricibus commiscerentur, jurarent, inter se rixarentur, severè vetabat. Ipse veró, quasi mortalibus omnibus in exemplar vitæ laudatæ & omnibus numeris absolutæ datus, omni mulierum usu carere, nemini mentiri, neminem fallere, neminem promissis contra aulicam consuetudinem lactare, multis suo judicio probatis citra promissum ullum benefacere, neminem unquam dicto aut facto violare, raró etiam, quòd multi frontis & vultus integumentis occulta animorum vitia tegentes frequenter fallerent, nisi spectatos insigniter & probatos laudare, publica negotia non tractare, procerum dissensiones & factiones dissimulare, neque ad hanc aut illam partem se adjungere sic ab initio insuevit ut facilè bonis omnibus summæ admirationi esset,

flagitiosis verò atque improbis, tantum virtutum jubar oculis caligantibus non ferentibus, invidiæ.

XXX. In hac tanta vitæ moderatione & æquabili constantia cùm eum Rex amore propè singulari diligeret, quòdque & prudentissimus atque justissimus esset, ei de rebus omnibus dicenti ita assentiretur & crederet ut quidvis nullo negotio impetraret, tamen ab amicis, ut vento secundo flante vela faceret frequenter hortantibus, nunquam adduci potuit ut ex tot sacerdotiis & beneficiis quibus Rex tantus momento miseros in summum fastigium evehere solet, aliquod sibi deposceret. Quam maximam modestiam pudorémque cùm Rex animadverteret, eodem die duarum abbatiarum administrationem ei mandavit. Quas ubi de Magistro Equitum alteri antè destinatas & promissas esse cognovit, ad Regem ipsum accessit, útque ei cui ex voto Magistri Equitum antea pactæ essent attribuerentur, eum oravit; easdémque quas jam regio diplomate consignatas tenebat, eodem tempore resignavit & cessit. Qua animi ingenui & magni significatione magis atque magis in ejus amorem Rex inflammatus, intra unius anni spatium tribus sacerdotiis, præfectura Envaoniensi, episcopatu Tutelensi, & abbatia

abbatia Belloperticensi eum ornavit.

XXXI. In hoc honoris gradu locatus & confirmatus præcipuam curam & cogitationem adhibuit uti Regem, suapte natura satis tamen erga literas propensum, magis atque magis in earum promotionem inflammaret. Itaque statim ad spargendam longè latèque hanc veluti literarum segetem, cujus non modò Gallia fructus uberrimos sed etiam exteræ gentes brevi ceperunt, ut professores regio stipendio in omnibus linguis & disciplinis Lutetiæ docendis auctorarentur, à Rege impetravit. Cujus rei cùm à doctissimo viro Gulielmo Budæo, Ioanne Bellaio Cardinale clarissimo adjutore, fundamenta quædam olim jacta ruitura viderentur nisi structuræ totius validioribus columnis fultæ exædificatio accederet, quæcunque ad hanc rem in sempiternum tempus propagandam necessaria videbantur non minore diligentia quàm prudentia comparavit. Imprimis ut honestis stipendiis conducti, sacerdotiis quoque professores ornarentur à Rege, & hoc veluti auctoramento ad suum munus obeundum alacriores redderentur, effecit. Atque ne singulis annis cum aperta suorum studiorum & professionum jactura stipendiorum persequendorum causa regiam aulam sequi cogerentur, sæpius & quidem

enixè operam dedit ut in eos commentarios quibus domeſtici Regis officiales adſcripti ſunt referrentur. Hac enim ratione, citra ullius efflagitationis importunitatem & novam quotannis Regis appellationem, quater in anno æquis portionibus eos ſua ſtipendia certa accepturos, & hinc hujus rei ſecuros ſua munera pro dignitate obituros eſſe cognoſcebat. Quod ſi quemadmodum nullo negotio Regi perſuaſit, tam facilè à Quæſtoribus, & qui ærario rationibúſque præſunt, obtinere potuiſſet, præclarè & literis & eas regio nomine profitentibus in futurum conſultum fuiſſet.

XXXII. Atque etiam ut rei literariæ longiùs contra barbarorum vim aliáſque temporum injurias conſuleret, quibus frequenter maxima Principum opera aut retardari aut etiam aboleri cernimus, eò Regem adduxerat ut gymnaſium inſigni amplitudine, ſtructura & artificio inaudito trans Sequanam è regione Luparæ, velut opulentiſſimum literarum emporium, ſumptu propè infinito ædificaret, cenſúque centum Francicorum millium alendis omnium artium linguarúmque doctoribus & interpretibus ſacrificiſque, qui rem divinam facerent, & lectis adoleſcentibus præſtantíque ingenio præditis ſupra ſexcentos, qui ibidem inſtituerentur, dotaret.

Qua in deſignatione cùm omnium artium
& linguarum profeſſores conſtituiſſet,
quantum temporis unicuique puer inſti-
tuendus ſingulis diebus operam daret, &
quibus gradibus, donec anno decimo-
quarto ἐγκυκλοπαιδείαν abſolviſſet, ſingu-
los audiret, non magis prolixè quàm di-
ſertè & doctè deſcripſerat: Quo ejus in-
comparabili beneficio nos hodie atque
etiam in perpetuum poſteri frueremur,
niſi qui, congruo vitæ exitu planè miſe-
rabili ſatis notus, tum Cancellarium age-
bat, improbitatis & malignitatis felle ſuf-
fuſus, tergiverſando, diſſimulando, &
differendo, interdum etiam bellicas diffi-
cultates objiciendo, opus toties diſtuliſſet
& deſignatum impediviſſet. Quarum re-
rum perficiendarum gloria, quæ ad im-
mortale literarum decus pertinentes ſæpe
quidem, ſed genio quodam ſiniſtro adver-
ſante fruſtra tentatæ ſunt, illuſtriſſimum &
omnium bonarum artium amantiſſimum
Cardinalem Lotharingum manet: qui
quemadmodum eas & earum profeſſores
lubens admodum in ſuam fidem & clien-
telam accepit, ita qua valet in florentiſſi-
ma Regis aula auctoritate & gratia, pri-
mum quidem quandocunque volet vel
ſolo nutu, alterum verò feſta pace in lu-
cem ex denſis bellorum tenebris tandem

Digitized by Google

aliquando revocata conficere poterit.

XXXIII. Sed ut ad hanc pulcherrimam Musarum expeditionem revertar, silentio prætermittendum non est quòd Bibliothecam, quæ Pergami Ægyptíque Regum aliásque ubivis terrarum olim florentissimas exuperaret, conquisitis non ex Italia modò & vicinis regionibus, sed Græcia & Asia tota, regio sumptu maximo, omnium artium vetustissimis libris referserit. Quemadmodum enim bellum cum hostibus gesturos armamentaria omni telorum armorúmque genere instructa semper habere oportere dicebat, ita regnum literarum contra barbaros defensuris & propagaturis hanc omnium artium linguarúmque monimentis munitam necessariam esse judicabat. Quæ tanta librorum moles ne unum in locum congesta videretur ut situ & squalore fœdata, aut à blattis & tineis exesa, aliáve cœli injuria temporis progressu corrumperetur, librorum custodes concinnatorésque, qui totam hanc rem librariam sartam tectam tuerentur, perpetuo Regis stipendio conductos apponi ibidem curavit. Nec eò contentus, ut, quod unum spectabat, non ad inanem ostentationem, sed ad publica commoda laboriosa hæc librorum quæstura constituta videretur, hoc etiam perfecit, ut sculptis

fusísque elegantissimis characteribus officina typographica, in qua libri sigillatim è regia bibliotheca accepti excuderentur, conductis quoque regia pecunia variis ad eam rem necessariis artificibus, excitaretur.

XXXIV. Hanc præclaram literas & earum regios professores tuendi voluntatem ita semper conservavit ut nihil unquam iis detrahi aut de eorum dignitate imminui pateretur. Itaque cùm pro veteri Prati Clericorum jure vindicando tumultuantibus scholasticis, hi quibus elegantia doctrinæ horum temporum parum placet, seditionum bonorúmque morum & religionis depravatæ causas in regias literarum professiones, opportunè iis insidiati, conferrent, eásque aut abolendas aut privatorum gymnasiorum, in quibus veteri ritu pueri artes docentur, septis includendas esse Regi suaderent, fortiter intercessit, eósque non minùs improbè quàm inscienter facere docuit; qui cùm rem longè saluberrimam, omnium bonorum fontem, propter paucorum vitium, qui ea abuterentur, veluti malorum omnium sentinam accusarent, perinde facerent atque hi qui solem vitæ parentem, quòd pituita redundantibus nonnunquam morborum causam adfert, è mundo tollendum esse clamitant. Non enim qui ad hæc tetra facinora con-

tra leges & omnem honeſtatem edenda ſe profligarent, bonarum artium ſtudioſos eſſe, aut publicas profeſſiones ſectari, quibus diſcendi cupidi à flagitiis & ſceleribus avocarentur. Quòd ſi gymnaſiorum, in quibus inſtituto academiæ pueri artes docerentur, regij profeſſores circumſcriberentur, fore ſtatim ut profeſſionum fructus & dignitas evaneſceret. Non enim ex auditorum re futurum ut ad hos diverſis in locis & longè diſſitis audiendos accederent, quòd plus temporis adeundo quàm audiendo conſumpturi eſſent. Qua etiam ratione fieret ut unum audientes altero excluderentur. Adde quòd neque è dignitate regiæ profeſſionis eſſet, quæ ad publicam omnium mortalium utilitatem beneficentia regia conſtituta eſt, ut in privatam ſcholam pueris inſtituendis addictam regij profeſſores eorúmque graviores auditores tanquam in inſulam exilij cauſa relegarentur. qua ex re accideret ut etiam privatarum lectionum in gymnaſiis morúmque & rituum vetus ordo diſſolueretur, & diſciplinæ veteris major longè labefactatio conſequeretur. Quibus rationibus vir non minùs prudens quàm diſertus facilè Regi atque ejus aulæ proceribus perſuaſit ut quo loco & ordine conſuevifſent, regij literarum profeſſores docere

& ſua munera obire perſeverarent.

XXXV. Hunc optimum erga literas affectum cùm ita in Rege confirmaſſet & adauxiſſet ut his provehendis ille nihil non profundere paratus eſſet, totum ſe ad perſuaſionem de religione quàm maximè orthodoxam illius animo tenaciter imprimendam contulit. Quem locum quia valde ancipitem eſſe & lubricum video, hominibus in diverſa ſtudia abreptis ejus factum aliter atque aliter interpretantibus, explicandum pertractandúmque eſſe pluribus judico. Nam à quibuſdam, qui quicquid politioribus literis tinctum eſt, aut ex Hebræis Græcíſque literis erutum, ſtatim Lutheranum eſſe clamitant, affinem ei ſectæ, ab aliis verò aulæ pontificiæ corruptos mores, nundinationes rerum ſacrarum, & quam vocant ſuperſtitionem improbantibus, purpurei galeri deſiderio fictum & perſonatum ſimulatorem habitum eſſe non ignoro. Non abs re igitur, ut iis ſcrupulum adimam qui veris vinci volunt, quæ fuerit illius hac in re ſententia, quídque ſpectaverit, quod hic locus admonet, proditurus mihi videor. Quam ad rem ſi minùs ab eloquentia adjuvabor, at ab eo non parva auxilia ſentiam quòd cum mortalium nemine plura unquam quàm mecum de rebus in religione hodie controverſis com-

municavit, neque pro eo amore quo propè singulari me complexus est, apertiùs animi sui arcana cuiquam quàm mihi patefecit.

XXXVI. Itaque cùm Regem ad defectionem à Pontifice Romano & veteris in Ecclesia disciplinæ dissolutionem ab externis Principibus & populis variè sollicitatum videret, hac ratione opem & auxilium ad debilitandum & opprimendum Cæsarem pollicentibus, cùm semper tanquam murus aheneus contra staret, in veteribus ritibus & ceremoniis Regem confirmaret, in homines hæc nova dogmata invulgantes severè animadvertendum inculcaret, qui eos quoquo modo oppugnarent tueretur & commendaret, admonitus ab iis amicis ad quos multorum querimoniæ deferebantur modum ut aliquem servaret, sic zizanias reliquásque noxias herbas ex agro evellendas esse persuaderet sata ut salutaria non læderentur & incolumia permanerent, sic veteris Ecclesiæ doctrinam puram & sanctam judicandam esse ut interim Pontificum cauponationes, sacrilegia, nequitiæ, libidinésque coërcerentur, ita respondere solitus erat, tantum esse in tam potente Rege in utramvis partem momentum, cujus in Gallia homines obsequentes & morigeri non modò mandata, edicta, & imperia, verùm etiam nu-

Digitized by Google

tus omnes obſervarent, ut ſi novæ hujus libertatis ſtudioſi ad ea quæ meditarentur conniventem eum aut quicquam laxantem animadverterent, ſtatim omnes tumultus, quos nimio reipublicæ malo ſuperioribus annis Germania ſenſiſſet, concitaturi eſſent, ſacra omnia prophanaturi, & demum omnibus magiſtratibus atque etiam ipſi Regi, velut diffractis omnibus modeſtiæ retinaculis, diſceptandi imperandíque facultatem omnem aut erepturi aut certè conturbaturi; tantum eſſe odium horum animis incluſum contra ordinem eccleſiaſticum, tam profundam ſolidioris doctrinæ ignorantiam, tantámque non pietatem, ſed ingenij oſtentationem, & in alia invadendi inſitam cupiditatem, ut nullo judicio, delectu, & diſcrimine, ſi in ſuas partes propendentem vel minimùm Regem viderent, ſtatim omnia ſurſum deorſum commiſturi & ſubverſuri viderentur; majorem hominum partem, qui ſe novos Chriſtianos profiterentur, fidei Chriſtianæ, quam non intelligerent, illecebra primùm allicefactos, rerum omnium delectu ſublato paulatim ἀϑέους reddi, neque demum ſedes ullas beatorum poſt mortem neque inferos eſſe cogitare. Superſtitionem autem, quam jure improbarent, ex duobus tamen malis multùm an-

referendam impietati & fraudi, qua Dei omni metu exuti mortales quidvis sibi licere arbitrantur. Neque enim se negare tanta esse Pontificis Romani ejúsque Ecclesiæ administrorum sacrilegia flagitiáque ut gravibus & cordatis dissimulari nec possent nec deberent; sed tempus messis expectandum, in quo à semine salutari paleæ, acus, & noxia cuncta separabuntur; expectandum non modò extremum illum divini judicij diem, sed etiam Synodum aliquam in Spiritu sancto rite congregandam, nihil temerè per vim & inconsideratum animi impetum immutandum. Neque fieri posse quin in factione quoque diversa calumniatores essent, qui odio, invidia, vel nimio studio suas opes & dignitates retinendi potiùs quàm pietatis affectu bonos aliquando viros pro Lutheranis persequerentur; ferendos tamen esse quoties in suspicione, à qua etiam crimen abesset, suspectos in judicium vocarent. Quòd si innocentes essent accusati, absolui possent; condemnari autem nocentes, nisi accusarentur, non possent. Quam ad rem locum illum ex Cicerone pro Roscio de canibus Capitolinis adducebat, ut illos olim, cùm fures internoscere non possent, rectè latratu appetere solitos esse quicunque noctu Capitolium ingressi essent; ita ut metu

lymphaticorum quorundam comprimeretur audacia, quoties moribus & longo usu in Ecclesia recepta privata auctoritate abrogarent aut seditiosè damnarent, latratores, à quibus appeterentur, reipublicæ causa favore prosequendos esse. Se autem votis ardentibus expetere salubrem aliquam magnorum vitiorum in Ecclesia grassantium emendationem & correctionem; sed quanto malum vetustate corroboratum, depravatis omnibus penes quos summa rerum esset, altiùs radices egisset, tanto difficiliorem curationem videri, quam non impetus inconsideratus aut furor hominum privatorum, sed publicus doctorum & bonorum hominum conventus gravi & matura disceptatione esset allaturus.

XXXVII. Hæc, cùm vacuus à negotiis esset, & soli ferè essemus, de nimia horum temporum in tam depravatis ecclesiasticorum moribus calumniandi bonos homines licentia edisserebat. Quæ eadem cùm frequenter regiis auribus inculcaret, facilè eum in sacra & pia de religione sententia continebat, & aversum à crudelitate ad animi moderationem lenitatémque ita traducebat ut prolapsos in errorem, futiliter atque etiam impiè de religione locutos, resipiscentes tamen, vel absolveret,

vel certè extremo ſupplicio liberatos in Eccleſiæ gremium vetere ejus inſtituto & more recipi vellet. Cui rei argumento erit inter cetera firmiſſimo venia per ipſum univerſo Valdenſium generi triennio antequam exſcinderentur conceſſa : qui cùm à toto SenatuProvinciali & legatis regiis accuſarentur, non modò impietatis, ſed & majeſtatis, quòd rebellionem moliti vim & arma intentaſſe magiſtratibus dicerentur, eſſéntque in aula apud Regem rerum clavum tenentes qui oleum camino infunderent, ſolus tamen Regis animum iracundia incenſum reſtinxit, & ad humanitatem & lenitatem flexit. Nulla enim juſta ratione in eos ſæviri poſſe dicebat qui ſe ulla vi Regi reſtitiſſe pernegarent, & in hanc rem à regia æquitate cognitores depoſcerent, paratos eſſe quævis ſupplicia luere ſi quid tale admiſiſſe convincerentur. Quod autem ad religionem attineret, ſi quid eſſet à quibuſdam privatis inter ipſos delictum, ſe eorum errata tueri nolle, neque ulli pravæ ſectæ, quæ à communi Chriſtianorum ſententia diſſideret, pertinaciter adhærere velle, & per omnia Deo primùm deinde Regi ſatisfacere atque obſequi paratos eſſe.

XXXVIII. Quam Regis indulgentiam & clementiam cùm intellexiſſet Na-

varræ Regina, manibus ad cœlum ſublatis exclamavit, & Deo Opt. Max. gratias egit, quòd miſerum populum per eum hominem ſervaſſet à quo nihil unquam ejuſmodi expectaſſet. Qua in re præſtanti alioqui judicio femina, cui non ſatis erat Caſtellanus notus, valde fallebatur. Etenim quamquam is hæreſes & pravas de religione perſuaſiones vehementer execrabatur, non tamen omnes improborum fraude aut ſua nimia ſimplicitate his perperam imbutos ita oderat quin ex animo & lubens culpam agnoſcentibus & Regis miſericordiam implorantibus ſuum patrocinium accommodaret. Et quamquam eccleſiaſticos ordines veterémque diſciplinam & ceremonias Eccleſiæ veluti ſacroſanctas tueri volebat, non tamen pontificiorum flagitia & ſacrarum rerum abuſus defendebat; ſed moderatam aliquam inter diſſidentes de religione emendationem, labentíſque eccleſiæ inſtaurationem, tanquam ſalutarem medicinam ancipiti morbo, inſtituendam eſſe judicabat. Illa autem eum quem pontificiam eccleſiaſticámque dignitatem nimis ſeverè defendere, & qui contra hanc luxatam & loco motam his temporibus loquerentur, nimis acerbè refellere arbitraretur, nunquam commiſſurum putabat ut cùm omnia contra feciſſe

Digitized by Google

diceretur, in extremo discrimine positis patrocinaretur & salutem impetraret.

XXXIX. Id magis verum esse credat qui Doletum longi carceris illuvie fœdatum, prima accusatione impiæ fraudis reum, Castellano supplice carcere emissum & omni noxia condonata liberatum esse cognoverit. Quod quidem cùm vehementer ab iis improbaretur qui tum apud Regem omnia posse putabantur, atque ob id ex iis unus primi nominis Cardinalis Castellanum gravi & objurgatrice oratione adortus esset quòd cùm in Ecclesia orthodoxorum Pontificis locum teneret, contra omnes tamen homines quibus religio & pietas cordi esset eorum qui non modo Lutherana lue infecti, sed etiam Dei expertes, impietatis rei essent, partes tueri apud Christianissimum Regem ausus esset, memini Castellanum, cùm paulùm se collegisset, animo satis incitato & commoto respondisse se, de quo accusabatur, in ccusatorem meritò retorquere posse, cùm ipse quod viri ecclesiastici & veri Pontificis proprium esset fecisset, ille verò quod veri carnificis esset ab Episcopis exigeret. Episcoporum enim esse, & Sacerdotum Christi, & Apostolorum, virorúmque sanctorum, qui nobis suo sanguine Ecclesiam consecrarunt, exemplo, Re-

gem à ſævitia & immanitate ad manſuetudinem, clementiam, & miſericordiam convertere, errantem ovem humeris impoſitam in ovile reducere, déque ea recepta, tanquam expugnatis hoſtium caſtris, gaudio triumphare, maximè ubi melioris vitæ ſpes aliqua affulgeret; ſe apud Regem Doleti fraudibus & ſceleribus nullum patrocinium tribuiſſe; pro eo qui promitteret vitæ morúmque emendationem homine Chriſtiano dignam Regi ſupplicem factum eſſe. Qui pœnitentiæ affectus quandocunque in eo qui temerè in errorem prolapſus eſt conſpicitur, ſe illi exiſtimare Eccleſiæ ſinum expandendum eſſe. non ut olim Dianam in Taurica Cherſoneſſo, ita Chriſtum Servatorem noſtrum ſanguinis humani profuſione delectari, cùm in ſacris ſcriptum ſit Deum non mortem peccatoris ſed ad meliora converſionem & vitam expetere. qui contra facerent, & ad immania ſupplicia de his qui reſipiſcerent & corpori Eccleſiæ redinſeri cuperent ſumenda Regem incenderent, carnifices potiùs quàm Pontifices vocandos eſſe.

X L. Multa ejuſmodi commemorari poſſunt; è quibus, brevitatis cauſa, ubi unum ſuperioribus adjunxero, aliò me convertam, Accidit ante biennium ut

Causidici cujusdam Parisiensis filius, annum decimumquartum nondum ingressus, cùm petulantia puerili præceps, tum etiam à pædagogo seditioso & temerario malis opinionum elementis imbutus, è templo ejus scholæ, in qua literis operam dabat, per noctem signis sacris membra suffringeret, & libellos famosos manu incognita scriptos per aream ejus loci spargeret. in quo facinore demum deprehensus, & in carcerem abductus, severo admodum judicio damnatus est. Supplicium ejusmodi fuit, ut per triduum intermissa die per aream gymnasij atque urbis compita circumductus, manibus revinctis, laqueo in collum inserto, virgis acerrimè cæderetur. Hinc ab omni hominum congressu & colloquio avulsus, certo loco lapideis parietibus undequaque cincto, unica fenestella, qua & de cœlo aërem attraheret & cibum exciperet, relicta, ad reliquum vitæ tempus exigendum includeretur. Quod judicium etsi permultis non modò nimis severum, sed crudele ætatis puerilis ratione habita videretur, neque tamen esset qui pro puero Regem appellare auderet, ipse, re tota intellecta, postquam puerum convenisset, nec malitia inveterata, sed fraude importuni pædagogi, & levitate puerili in hanc amentiam præcipitem da-
tum

tum ſcelus agnoſcentem & deplorantem inveniſſet, à Rege ei veniam & monaſticam vitam profitendi libertatem impetravit, & immanitatem eorum qui in puerum nullo judicio præditum tam barbarum ſupplicium ſtatuiſſent vehementer deteſtatus eſt.

X L I. Hæc ut ſerviens tempori & perſonis quæ ſemper incendia crepabant, cùm tamen nihil haberent eccleſiaſticum, in hanc ſententiam ſœpe loquebatur, ita in eos qui indulgendo & condonando nimis eſſent faciles frequenter invehebatur; præcipuè ſi crimen publicum eſſet, ſi ad ſeditionem ſpectaret, ſi non ab errore ſed ab inveterato vitio profectum & contra præcipua capita religionis admiſſum eſſet. In quibus, ut ceteri eorum exemplo ad peccandum tardiores eſſent, non ſtatim quoſcunque in Eccleſiam recipiendos eſſe, ſed cunctatione & mora interpoſita primùm explorari eorum animos, deinde à communione reliquorum aliquantiſper arceri, poſtremò irrogata aliqua pœna ad ea quæ à miniſtris Eccleſiæ imperarentur facienda ut aſſueſcerent veteri ritu & inſtituto volebat. Qua in re & inter eos qui nimiùm acerbè vindictam & ſupplicia exigendo ad deſperationem & extrema cogitanda homines adigebant, & eos qui nimiùm remiſsè indulgendo veterem diſciplinam

prorsùs labefactabant, ita medium se gerebat ut si publico Concilio, in quo quæ hodie de religione controversa sunt disceptarentur, ei aliquando interesse contigisset, dissidentium conciliatorem præstare se facilè potuisset. Nam ut phanaticis & novorum dogmatum invulgatoribus semper sese acriter opponebat, ita nequaquam ecclesiasticorum hominum flagitia & abusus connivendo dissimulanda aut toleranda esse clamabat.

XLII. Memini ante annos novem cùm Rex Britanniæ Henricus octavus codicem quendam Regi misisset, in quo præcipua capita doctrinæ suæ complectebatur, & cur à Romano Pontifice defecisset, & in monachorum reliquorúmque in Ecclesia fucorum (ita enim loquebatur) bona invasisset, rationem reddere nitebatur, Regem Franciscum, cùm multa in eo libro improbaret, & temerè suscepta ab Henrico Rege dictitaret, non tamen alienum ratione judicasse quod de opimis sacerdotiis ecclesiasticorum fisco regio applicandis ille disserebat. Non enim dissentaneum esse dicebat quòd ille ut facinus execrabatur maximas opes in luxum & libidines sacerdotum otiosorum converti; quæ si à Principibus occuparentur, populus gravioribus tributis & oneribus levari, pau-

peribus ſuccurri, religionem & literas profitentibus conſuli, poſtremò regni totius incolumitas & ſalus parari retineríque poſſet. Quæ cùm in hanc ſententiam aſtante Caſtellano ita locutus eſſet ut quid ad ea reſponderet expectare videretur, Caſtellanus vultu ad incredibilem modeſtiam obſervantiámque compoſito, oratione blanda, & quæ magis aures animúmque Regis permulcere quàm exacerbare, ejus ſententiam refellendo, videretur, ita reſpondit: Non abs re accuſari à Rege ſacerdotum vitam flagitioſam, inertiámque & ignaviam in paſcendo grege ſibi commiſſo, animalia videri ventri abdomini & delitiis nata, eſurientibus interim & paſſim ſine certo lare vagantibus quibus ſaturandis & certo ſtatu conſtituendis eos ſollicitos eſſe oportebat. eam rem idcirco totam magnà aliqua & ſevera animadverſione dignam judicari. Sed culpam præcipuam penes ipſos Reges eſſe, qui talia ventris libidinúmque mancipia Eccleſiis præficerent, qui doctos & probos non deligerent, qui in ea re, ut legibus ſolverentur, vim ſummis etiam Pontificibus adferrent. inutiles & pernicioſos maturo Eccleſiæ legitimè convocatæ conſenſu tollendos eſſe, & idoneos præficiendos cogendóſque ad officium, ut Eccleſiarum opes in eos uſus converterentur in

quos à primis conditoribus destinatas esse constat. Non idcirco Principum fiscis attribuendas, quando voluntas ultima eorum qui has opes Ecclesiis in optimum finem addixissent, quod valde & legibus & rationi repugnat, rescinderetur, nec tandem fortasse fisco Principum adjudicatæ plus commodi reipublicæ allaturæ essent quàm hodie in tam perturbato & depravato ecclesiasticorum hominum statu adferant. Sic vitandam esse Charybdim ne in Scyllam incidamus, non esse vites à radicibus exscindendas, quod instituit Lycurgus in Thracia, quòd temulenti vino inebrientur. Vocandos ad munus ecclesiasticum qui doctrina insigni & vitæ sanctimonia ceteris præluceant; indignos autem & inofficiosos, velut fucos ab alvearibus, sic ab omni munere ecclesiastico removendos & arcendos esse. hoc Regum esse potiùs officium quàm (quod Britanniæ Rex meditabatur) utraque potestate sibi vendicata, ecclesiasticam pessumdare & iis utramque tenebris involuere ut in neutra liquidum nihil & purum propriúmque perspici posset. Quem ita differentem cùm Rex benignè audivisset, tantum abest ut in Britanniæ Regis sententiam descenderit ut clara voce permultis astantibus pronuntiaverit eum sibi videri regnandi

ſatietate affectum, inuſitata & prodigioſa variarum rerum monſtra quotidie parere.

XLIII. Hujuſmodi Socraticis diſſertationibus non minùs eruditis quàm elegantibus, & leni ſuavíque actione expreſſis, Regem non modò in officio continebat, verùm etiam frequenter à prava ſententia, in quam aſſentatores & improbi eum pertrahere conabantur, abducebat; ut paucis pòſt interjectis menſibus in eo quod jam dicam accidit. Nam cùm, ardente inter Regem & Cæſarem bello, undique pecuniæ, belli nervus, conquirerentur, & Poïetus tum Cancellarius, malis artibus Regis gratiam aucupans, cùm bonis improbus non poſſet, multis aſtantibus pronuntiaſſet privatorum omnium atque etiam rerum publicarum regníque totius opes omnes Regis eſſe, quandocunque rei numariæ penuria in regno adminiſtrando urgeretur, probari id facilè ex eo poſſe quòd de regio jure primo Regum à Samuele pronuntiatum eſſet; ſceleratam vocem multis ſtupentibus, nec tamen hiſcere audentibus, non diſſimulanter tulit. Talem olim vocem apud Atreum, Thyeſtem, Neronem, & Caligulam cum plauſu & favore edi potuiſſe; apud bonum Principem, ſanctis legibus & inſtitutis ſuo populo imperantem, non ſolùm edi, ſed

ne cogitari quidem ſine ſummo ſcelere poſſe. Multum eſſe diſcriminis inter Tyrannum & Regem. illum ad ſeſe legibus contortis & oppreſſis omnia trahere, hunc legibus obſervatis, adhibito optimatum conſilio, omnia referre ad publicam utilitatem; incidere verò ea tempora poſſe ut Regibus ad ſui populi facultates confugiendum ſit, & iis ad tempus tanquam propriis utendum; verùm non quavis de cauſa, ſed urgente ea neceſſitate qua ſalus publica periclitetur, idque primùm convocatis nobilium populíque principibus, & conſentientibus. Deum in veteris teſtamenti libris populo Iſraëlitico malorum Regum & Tyrannorum mores, non proborum & ſanctorum, deſcripſiſſe. Poïetum magnam injuriam ſanctiſſimo atque optimo Regi facere, qui apud eum voce tam nefaria & ad omnem improbitatem profligata uteretur. Qua oratione regiam in aliorum pecunias invadendi licentiam coërcente tantum abeſt ut Rex offenſus ſit ut ſuum Cancellarium, ejus improbitate aſſentationéque animadverſa, ne aſpectu quidem dignatus ſit, & oculis ad Caſtellanum alióſque qui aſtabant converſis, Caſtellani orationem mirificè comprobaverit, & quæ de malis atque improbis Regibus variè apud hiſtoricos ſcripta,

q́uæque de eorum officio apud philoso-phos & scriptores sacros explicata sunt, eloquentia incomparabili commemoraverit. Tantum ejus prudentiæ doctrinæque cum eximia probitate conjunctæ Rex tribuebat ut etiam contra sua commoda & jura differenti citra ullam animi offensi significationem crederet. Itaque cùm de doctis hominibus loqueretur, dictitare solebat se permultis extra communem aliorum aleam positis doctis hominibus persæpe familiariter usum esse & delectatum, verùm præter Castellanum neminem sibi ad eam diem visum cujus eruditionem omnem non intra biennium exhausisset. hunc veluti omnium artium quendam oceanum semper vivo gurgite redundantem ad se accedentem semper videri novum nec unquam antè auditum. eam esse ejus immortalis ingenij vim & doctrinæ fœcunditatem ut nunquam in ulla disputatione hæsitare & titubare visus esset. Quæ tam florens ejus gratia cùm quibusdam invidentiæ stimulo incitatis non multùm arrideret, per mulierculas Regis benevolentia utentes eum apud Regem in suspicionem & odium trahere conati sunt, quasi de Rege & moribus aulicis sinistrè loqui solitus esset. De quo cùm Rex ipse cum eo expostulasset, Regíque respondisset satis

generosè se paratum esse tam impiam calumniam singulari certamine à se propulsare, si ab alio quam à liberis regiis aut ab iis qui de sanguine regio procreati essent profecta esset, Rex ipse vultu placido & ad humanitatem composito nihil opus esse ullo conflictu dixit, cùm nihil unquam tale de eo sibi persuasisset. Atque ut ita se rem habere existimaret, eo ipso temporis articulo, ut in solo suo natalitio dignitate principe exornaretur, eum Episcopum Matisconensium designavit. Quo Regis judicio atque patriæ amore adductus, cùm episcopatus duos administrare nollet, Tutelensi statim se abdicavit, & pro eo abbatiam Altovillarensem accepit.

XLIV. Tantum autem adulatoribus, calumniatoribus, atque ostentatoribus rerum miracula prolixè promittentibus infensus erat ut nullo eos loco ferret, sed statim verum opponendo confutaret, & elingues redderet. Biennio ferè ante mortem Regis, cùm quidam & inter ceteros mulierculæ non obscura apud Regem gratia valentes Duci Aurelianorum, quem ab eo diligi videbant, impensiùs faverent, & cùm assentandi studio, tum etiam suas opes illius potentia stabiliendi, multis illum laudibus ad cœlum efferrent, & per mathematicos genesi ejus diligenter inspecta &

explicata, gentium latè victorem futurum, Henricum verò Delphinum, qui hodie regnat, animo lento & sopito, infelici quodam syderum positu natum vix unquam quicquam Francorum Rege dignum gesturum pronuntiarent, improbam adulationem calumniámque non tulit; sed ad eas contracto vultu, advertente Rege conversus, posteaquam paucis quàm difficile esset astrologiam rectè perdiscere, multò etiam difficilius astra hominibus accommodare, & ex iisdem futura cuique prædicere disseruisset, multa quoque alia addidisset de impudentia & vanitate mathematicorum, propter quæ eis fides adhibenda non esset, subjecit se olim à primis studiorum incunabulis eam iis rebus sub Turrello operam dedisse ut non facilè cuiquam fatidicorum in hoc genere cessurus esset. Itaque & fallendi temporis & animum explendi curiosísque satisfaciendi causa ex iis principiis quæ periti mathematici constituunt expenso diligenter Regis liberorúmque ejus nativitatis momento, & ad astrorùm cursum congressúmque accommodato, se utriusque ingenium & naturæ propensionem futurámque felicitatem ex arte delineasse, & se quidem Carolum, ut summa humanitate, ita animi magnitudine præditum, bellicosum, magno-

rum amicitia & opibus fultum, valde potentem futurum animadvertisse; at verò Henricum bellicis artibus aliísque virtutibus Principe dignis haudquaquam inferiorem, atque insuper suorum hostium latè victorem felicissimum regnaturum comperisse. Verùm cùm hæc omnis ratio fatidica, propter eas causas quas ab initio attigerat, admodum incerta, lubrica, & præceps esset, multò certius & satius esse de moribus & ingenio utriusque, quid utrique accidere & obvenire posset, augurari. Quod cùm ad Henricum, qui hodie regnat, perlatum esset, incredibili ille lætitia affectus est; non quidem quòd se magnopere dilaudari cuperet, vir natura ab omni assentatione remotissimus; sed quòd inventus esset singulari vir integritate, qui non minùs constanter quàm liberè apud patrem, apud quem ne in suspicionem aut odium traheretur metuebat, pro veritate atque innocentia propugnaret. Quam ejus libertatem, ut à veritate profectam, Rex ipse Franciscus, ringentibus adulatoribus, boni consuluit, & se auribus æquis excipere præ se tulit. Ita quæ in speciem dura & regiis auribus aliena insolentiáque erant, vir non minùs disertus & prudens quam justus & verus Regi facilè probabat, suaviáque & amœna reddebat.

Digitized by Google

XLV. Poïeto peculatus, repetundarum, varíæque corruptelæ, & sordium reo, regio jussu in carcerem conjecto, interroganti Regi quidnam de ejus vinculis sentiret, gravioribus pœnis, si quæ de eo passim jactabantur vera essent, dignissimum respondit; sed sibi valde dolere quòd leviore de causa in eum manuum injectio decreta videretur, cùm scelerata multa aliis temporibus carcere digniora patrasset. Ille enim, quia quod Rex fieri imperaverat, in alterius, cui favebat, gratiam literas alteri obsignare recusasset, comprehendi & vinciri jussus erat, Castellano tamen Rex, ut erat animo præsenti & acuto, ex tempore satisfecit egregiè, Poïeto accidisse quod frequenter arborum fructibus solet, qui Euro Austróque violento exagitati vim in arbore sustinent, levi deinde Favonio flante sœpe ad terram decidua leguntur. Hac tanta apud Regem gratia eum identidem admonendo, docendo, ab ira revocando, pro bonis & innocentibus patrocinando, hoc consequebatur ne quid ille, ætate ingravescente, qua morosior & iracundior evaserat, asperiùs in quemquem aut acerbiùs statueret. Cùm in hac schola ante annos octo Sophista famosus, Musis iratis natus, gloriæ popularis siti inexplebili præceps, Aristotele, Cicerone,

& Quintiliano petulanter & ignoranter vexatis, nullum finem in quemvis aucto-rem classicum debacchandi facturus videretur, priusquam præsentem literarum statum labefactasset & ad suam libidinem pervertisset, permulti doctrina & virtute conspicui homines audaciam tam prodigiosam indignissimè tulerunt. Cùmque de eo apud Regem ita conquesti essent ut ille, pro sua perpetua in literas & literarum professores benevolentia, hunc indignabundus ad remum damnatum triremibus addicere statueret, Regis animum faceti leporis suavitate emollitum ad mitiorem sententiam traduxit. Sophistam nugantem, & ineptè philosophantem, ab humanissimo Rege nullo capitali supplicio puniendum esse. Verùm cum doctis hominibus coram gravibus disceptatoribus in disputationis certamen commissum, argumentis convincendum & ratione aliqua leviore ad sanitatem reducendum. Quorum sententia cùm illum Rex inscitiæ, impudentiæ, & temeritatis damnatum, silentíque pœna multatum vidisset, facilè acquievit, neque acerbiùs quicquam in eum statuit.

XLVI. Quoties de magnis viris sua virtute satis notis, qui cedentes inimicorum calumniæ, aula relicta, in suas ædes

Digitized by Google

ſe contulerant, ſermo incideret, bene de iis loqui, eorum prudentiam, animi magnitudinem, in pace bene conſtituendæ reipublicæ peritiam ſummam, in bello etiam auctoritatem & felicitatem, quanta modeſtia poterat, prædicare non deſinebat, & ne alieniore ab iis animo Rex eſſet efficiebat. Itaque tantam ejus apud patrem gratiam tantum abeſt ut indignè tulerit Henricus tum Delphinus, cui temporum illorum ſtatus non ſatis arridere credebatur, ut quemadmodum plures Neſtoras ad potiundum Troja Agamemnon, ſic ille ad ſalutaria Regis auribus inſtillanda Caſtellani permultos ſimiles Regi adeſſe ſœpe optaverit. Quo die, mortuo Cardinale Venatore magno Franciæ Eleemoſynario, in ejus locum Cardinalis Medonenſis apud D. Menehildis fanum deſignatus eſt, accidit ut è pago propinquo Caſtellanus uno comite per eam viam ad Regis prandium ſe conferret per quam cum ſua cohorte Henricus à matutina Regis ſalutatione ſe rus referebat: qui ubi Caſtellanum aſpexit, relictis comitibus, in diverſam viæ partem ſe tranſtulit, &, eo appellato, novum quendam Eleemoſynarium creatum eſſe nuntiavit; ſed ſi dicendæ ſententiæ in eo ſenatu ſibi locus datus eſſet, non alium quàm Caſtellanum futurum fuiſſe. Cui ubi-

tribus verbis Castellanus pro benigna in se voluntate & judicio gratias egisset, seque nihil tale ambire dixisset, ad suos ille se recepit. Tantum in eo virtutis prudentíæque præsumpta opinio valebat ut diversæ factionis hominibus æquè carus & admirabilis esset.

XLVII. Et quamquam ex eo hominum consilio non erat qui de bello & pace magnísque rebus ad regnum constituendum pertinentibus deliberant & disceptant, de iis tamen à Rege frequenter sententiam privatim rogatus, non minùs sapienter quam liberè respondebat. Paucis ante mortem Regis mensibus, cùm aliquot Cæsarianorum signis cum Alberto Brandeburgensi præfecto à Saxonum Duce interceptis Rex victoriam amplificaret & propemodum eò inclinare videretur ut inita cum Germanis quibusdam societate, Cæsaris hostem se profiteretur, rogatus quid de his censeret, primò eam victoriam ut exiguam & levem extenuare cœpit veluti inescantis fortunæ illecebram, mox Cæsare irritato, pestem & perniciem Saxoniæ Duci allaturam. Quod attineret ad societatem coëundam cum quibusdam Germaniæ Principibus, non facilè Regem eò animum advertere debere; cùm ipsi inter se parum concordes, & idcirco in-

firmi, præſtare quod pollicerentur non poſſent. Deinde quòd ſua commoda ſequentes, quæ Cæſar majoris hoſtis ulciſcendi cupiditate illis facilè concedit, non ſolùm ſocietatibus initis renuntiare, ſed etiam Cæſari conciliati ſe communes hoſtes Francorum illius auſpiciis profiteri ſoliti ſunt. Si totam belli molem à Germanis in Galliam avertere Rex vellet, eam belli gerendi cum Germanis ſocietatem coiret.

XLVIII. His vocibus ſœpe incitatum Regis animum retardabat & ad majorem de rebus deliberationem ſuſcipiendam adducebat. Verùm, ut jam diximus, de iis rebus quæ fori ſui non erant, verbum nunquam ullum niſi à Rege privatim interrogatus & ferè coactus faciebat. Pro rebus verò ad religionem pertinentibus, pro pauperibus, innocentibus, afflictis, pro literis, pro ſcholarum publicarum privilegiis & immunitatibus, nihil non ultro ferè apud Regem ſuſcipiebat & impetrabat. Itaque cùm urgente bello gravia tributa aliáque onera imperarentur, ubi eo ipſo interprete ad Regem acceſſeramus quicunque literas profitebamur, horum expertes & immunes votorúmque omnium compotes revertebamur.

XLIX. Et quamquam contra novarum ſectarum invulgatores auctoritatem

ecclesiasticam & quam appellant hierarchiam sacrosanctam tueri vellet, nunquam tamen quisquam iniquis Pontificum Romanorum postulatis acerbiùs dicto scriptóve restitit, nemo clavium potestatem arctiùs circumscripsit, & qua proportione cum Episcopis ceterísque Ecclesiæ membris caput esset, subtiliùs definivit. quod non parvum illi odium aliquando apud summum Pontificem conflavit.

L. Idem illi quoque apud Theologos Parisienses propter Robertum Stephanum accidit, cùm illum regio stipendio sua commendatione auctoratum contra illorum accusationem aliquando defendisset. Quem etsi ut vero crimine Lutheranæ sectæ, ita suspicione carere non arbitrabatur, quia tamen nunquam fore putabat ut apertè Lutheranismum profiteretur, propter singularem artis typographicæ industriam, qua ceteris omnibus præstare credebatur, cum eo moderatiùs agendum esse judicabat. Ante omnia probare non poterat quòd Theologi libros sacros ab illo typis excusos, scholiis quibusdam, ut aiebat, illustratos, atque indicibus locupletatos, damnarent,& pro hæretis rejicerent, locis non indicatis è quibus id colligi posset, neque ulla ratione reddita cur ita judicarent, quòdque linguarum imperitia

ritia cùm vocabula in alium ſenſum quàm ferret veritas torquerent, hæreſim falsò ſubeſſe nonnunquam dictitarent. Valde enim inſolens eſſe putabat tam gravem ſententiam ferre de libris quamplurima recta & ſana complectentibus, locis non notatis aut ratione reddita cur ita ſtatuerent. Quam ad rem ſtabiliendam cùm ex ipſorum ordine vir ſanè probatæ & laudatæ vitæ adduxiſſet illud è divo Paulo, *Modicum fermenti totam maſſam corrumpit*, in frequenti procerum aulæ regiæ conſeſſu id non ſatis aptè eò adduci docuit. ad hominum enim mores & convictum eſſe referendum, ad libros autem nequaquam. Non enim ut pravus homo, quaſi vitioſa pecus, facilè corrumpit & depravat eos cum quibus vivit, ita ſententia perverſa in libris reliquas pias & ſanas labefactat. paucula errata compluribus eruditè & ſanctè dictis compenſata obeliſcis transfixa (quod in veterum orthodoxorum libris factitatum legimus) caveri poſſe & cum delectu legi, ut alia permulta pia & religioſa maneant. Præterea liberalis, modeſti, & docere non perdere cupientis videri, cur quidquam improbetur, rationem reddere. Poſtremò intemperanter eſſe abutentium otio & literis ex linguarum ignorantia præclaras utriuſque inſtrumenti ſententias à vero

ſenſu in pravum detorquere malle quàm navata linguis ediſcendis aliqua opera ſtatim in iiſdem collineare & ſcopum attingere. Itaque auctore Rege faciendum eſſe ſtatuebat ut quæcunque pravæ doctrinæ affinia aut erronea in his libris à Theologis judicarentur in unum collecta cum eorundem animadverſionibus & typis informarentur & ad librorum calcem adjungerentur. Quæ cùm aliquando liberè & per alios Theologis ſignificaſſet, & coram ipſe eorum delegatis dixiſſet, ſuſpicionem vitare non potuit quin aliqua ex parte cum hæreticis ſentire crederetur.

LI. Quam ſuſpicionem multò etiam magis auxiſſet ſi quod ſe facturum Rege Boloniam obſidente receperat, aliquando præſtitiſſet; nempe ut in religione communicatis inter Germanos Gallóſque amicè & benevolè capitibus controverſis, ratio aliqua concordiæ iniretur. Ad Reges enim Galliæ & Britanniæ Legati Principum Germaniæ cùm veniſſent, Boloniæ reſtitutionem & utriuſque Regis conciliationem promittentes, & à Caſtellano contendiſſent ut per Regem ſuis aliquot ſelectis liceret cum totidem doctis juxtà & piis in Gallia viris concordiæ amantibus de rebus omnibus, in quibus à nobis diſſentirent, conferre & communicare, ut demum

agnitis utrinque vitiis & erroribus, idem & unus optimus Ecclesiæ ſtatus conſtitui poſſet, non id quidem ille renuerat, imò ſe lubens ad Regem relaturum rem totam & illi probaturum promiſerat, quando id cujus cauſa venerant perfeciſſent, hoc eſt, Boloniam Francis ereptam reddi curaſſent, & Reges conciliaſſent. Quod cùm illi præſtare nequiviſſent, & re infecta domum rediiſſent, hanc quoque communicationem intermiſerunt.

LII. Verùm cùm Cæſar paucis pòſt interjectis menſibus Regem urgeret ut in Concilio univerſali, quò hæreſum ſemina omnia tolli poſſent, ſibi adeſſet, & pro Rege Conſiliarij ejus principes id jam Cæſari promiſiſſent, Regem monuit Caſtellanus, qui ſe hujus legationis principem futurum intelligebat, videret quid ſuſciperet, rem non eſſe levis momenti, & cujus exitus contemnendus eſſet. negotium fore primùm cum hominibus jam per annos quinque & viginti in literis ſacris exercitatiſſimis & in ſua ſententia ita obfirmatis ut vix ulla ratione ab ea deduci unquam poſſe viderentur, præſertim ſi à Theologis ingenia ſua magis acuminibus quæſtionum aculeatarum quàm eruendo germano Scripturæ ſacræ ſenſu excolere ſolitis oppugnarentur. alias adhibendas eſſe machi-

na ut de his victoria reportari posset. antiquitatis & utriusque Ecclesiæ rituum, initiorum, progressuúmque, necnon exacta linguarum cognitione instructos esse oportere qui cum his in certaminis hujus campum descensuri essent. modestos & æquos potiùs quàm spinosos, litigiosos, & pertinaces deligendos esse; quorum justum numerum reperire non ita proclive esset. Denique in Concilio & Pontificem & Cæsarem sua fortasse potiùs quàm Christi commoda procuraturos & multa ipsi Regi adempturos quorum hodie jure quodam suo potestatem habere profiteretur; quæ retinere & tueri, cùm eò descensum esset, neque integrum fore, neque se, quíque Regis jussu eo essent profecturi, animi conscientia victos fortasse defensuros esse. Eam ob rem videri sibi consultissimum ut priùs quàm in hanc arenam descenderetur, docti, pij, & pacis amantes justo numero certum in locum convocarentur, de hísque rebus inter se disceptatores sederent, aliquídque uno consensu statuerent, quo qui ad publicum Concilium mitterentur instructi & armati retundere adversariorum tela & quæ consentanea judicarentur tueri & retinere possent. Itaque regio jussu cum Theologis justo numero delectis doctísque aliquot

Græcè & Hebraicè viris Meloduni congressus, cùm quæcunque extant tum à Græcis tum à Latinis auctoribus de sacris rebus scripta evolvenda diligenter singulis singula attribuisset, & Ecclesiæ primitivæ veterúmque annalium memoria replicata rerum omnium controversarum veritatem è fontibus ipsis eruisset, quid de his statuendum, sequendum, & omnibus Christianis persuadendum, contráque hæreticos pro Ecclesia defendendum esset summis quibusdam capitibus, quibus eo in consessu omnes subscripserant, comprehendisset, omnia ad Regem retulit, & ut cum iis qui secum ad Concilium, quod indictum iri brevi videbatur, ituri essent communicarentur persuasit. Magni enim ad ineundam, quam jampridem in Ecclesia quærimus, concordiam & ad id cujus postea pœnitere non posset semel staduendum referre putabat ut rebus controversis domi diligenter discussis & disceptatis, à certis ejusdem nationis hominibus eadem sentientibus in publicum Christianorum omnium velut theatrum prodiretur.

LIII. Earum rerum hodie in Ecclesia controversarum, post varias in omnes partes in illo conventu disputationes, una & certa omnium qui aderant manu subscripta uno & quadraginta capitibus compre-

hensa sententia eleganter perspicuè & breviter ab eo literis mandata est. Cujus summa hæc capita sunt.

I.	*Quid Ecclesia.*
II.	*Quæ nunc vera Ecclesia.*
III.	*Eadem de re catholica sententia.*
IV.	*Veræ Ecclesiæ potestas.*
V.	*De ministrorum potestate.*
VI.	*De antiquorum auctoritate & Conciliorum.*
VII.	*De culpa originali.*
VIII.	*De peccato originis catholica sententia.*
IX.	*De justificatione.*
X.	*De justificatione catholica sententia.*
XI.	*De justificatione in baptismo.*
XII.	*De intelligentia fidei apud Paulum.*
XIII.	*Ordo præparationis ad justificationem.*
XIV.	*Quantum sit fidendum inhærenti justitiæ.*
XV.	*Iustificatione possit esse absque præparatione.*
XVI.	*Quando quis debeat se credere justificatum.*
XVII.	*De operibus caritatis.*
XVIII.	*Ea de re catholica sententia.*
XIX.	*De sacramento baptismi.*

XX. *De ſacramento confirmationis.*
XXI. *De ſacramento pœnitentiæ.*
XXII. *Confeſſionis emolumenta.*
XXIII. *De ſatisfactionis fructu.*
XXIV. *De purgatorio.*
XXV. *De jejuniis.*
XXVI. *De ſacramento euchariſtiæ.*
XXVII. *De communicatione utriuſque ſpeciei.*
XXVIII. *De privata Miſſa.*
XXIX. *Quæ in Miſſa privata aguntur.*
XXX. *Fructus Miſſæ ad quos pertineat.*
XXXI. *De veneratione ſanctorum.*
XXXII. *De invocatione ſanctorum.*
XXXIII. *De reliquiis ſanctorum.*
XXXIV. *De imaginibus.*
XXXV. *De ſacramento ordinis.*
XXXVI. *De cœlibatu ſacerdotum.*
XXXVII. *De primario Petri & ſucceſſorum loco.*
XXXVIII. *De indulgentiis.*
XXXIX. *De ſacramento matrimonij.*
XL. *De extremæ unctionis ſacramento.*
XLI. *Concluſio totius diſputationis.*

LIV. Quod cùm ſummus Pontifex parum approbaret, ut qui ſedi apoſtolicæ & Concilio univerſali ejuſmodi congreſſibus præjudicari arbitraretur, eáque de re cum Rege expoſtulaſſet, Pontifici regio nomine gravi oratione & luculenta reſpon-

dit, probavítque non modò id publicæ Ecclesiæ & Concilij dignitati non obfuturum esse, verùm etiam ad controversiam tantam támque longè & latè nimis odiosè grassatam aliquo fine circumscribendam aut decidendam prorsùs necessarium. Quid enim boni ab eo hominum è diversis gentibus conventu sperandum esset qui & de rebus de quibus ageretur parum inter se fortasse convenirent & velut tyrones inexercitati in arenam cum iis hominibus descenderent qui jam tot annos continuos veterani in eam causam incumberent, & quod semel sibi persuasissent, ut claudus pilam, velut mordicus semper retenturi essent. Huc addebat quòd quamquam non omnia à doctrina defendendæ Ecclesiæ præsidia petenda essent, sed à præpotenti Deo & ejus sancto Spiritu, à quo in evangelio monemur ne solliciti simus quid Regibus & præsidibus respondeamus cùm ante eorum tribunal sistemur, eam tamen esse nostræ vitæ fœditatem, eam bonorum morum & veteris disciplinæ dissolutionem, ut nisi antequam in publicæ disputationis solum & pulverem prodiremus, non minùs de repurgandis inquinatæ vitæ sordibus quàm de doctrinæ præsidiis accersendis inter nos consilium iniremus, frustra divini numinis auxilium expectaremus.

LV. Pari & prudentia & eloquentia primùm Pontifici & poſtea ejus nomine in poſtremo Concilio Tridenti indicto præſidentibus pro Rege & Clero Francico magna cum libertate reſpondit, redditis cauſis cur ad illud factioſorum quorundam conſpiratione non legitimè nec in Spiritu ſancto convocatum Franciæ Epiſcopi non mitterentur, cur etiam per eoſdem, priuſquam eò accederent, per ſingulas diœceſes diligenti inquiſitione ſex menſium ſpatio facta, quæ in Eccleſia Gallica animadverſione & correctione digna eſſent Rex cognoſcenda & ad nationis Francicæ conventum, priuſquam ad univerſalem omnium Chriſtianorum accederetur, referenda eſſe ſtatueret. Quod cùm acerbiùs & ſuperbiùs quàm Dei Vicario dignum eſſet accuſaſſe Pontifex & de Epiſcopis non ſatis ſummum in terris Dei Vicarium agnoſcentibus & reverentibus conqueſtus eſſe videretur, ea dicendi vi & libertate illi reſpondit uti poſtea moderatiorem ſe aliquanto & humaniorem exhiberet. Cujus reſponſionis præcipua hæc capita fuerunt, magis illum ignorare quo loco Epiſcopos habere deberet quàm hos quantum illi deferri & tribui oporteret. Romanum enim Pontificem Epiſcoporum principem ita ſe debere profiteri ut non ordine, ſed juriſ-

dictione, eáque quæ fori, ut loquuntur, externi sit, superiorem eis intelligeret. Apostolis enim, in quorum locum Episcopi successissent, ex æquo dictum esse à Christo: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta erunt.* Item alibi: *Ite, evangelium docete omnem creaturam. & dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut eos ejicerent, & morbos eorum curarent.* Et quamvis Petri principatus in evangelio non obscurè significatus videatur, his præsertim quæ scripta sunt Matthæi XVI. *Tibi dabo claves regni cœlorum &c.* & Ioannis XXI. *Pasce oves meas*, Petrum tamen inter ceteros nec interpellandi muneris commissi nec impediendi aut jus ullum habuisse aut exercuisse videri, quin etiam ita se principem gessisse Ecclesiæ ut inter ceteros in Ecclesiæ Concilio nihil solus aut præter ceteros definiret, expostulanti etiam Ecclésiæ de Cornelio comitibúsque baptizatis responderet, atque ab Apostolo Paulo increpari, coargui, & jus idem vendicari pateretur. Ergo Romani Pontifices, Petri successores, quibus etiam Episcopi ad majus unitæ Ecclesiæ robur dignitatémque & concordiam, Christi, qui ovilis Christiani pastor unicus & summus est, typo, principatum lubenter detulerunt, ceterorum

Episcoporum munera, dignitatem, auctoritatémque administrationis non impedire aut infirmare debere, verùm ita se Ecclesiæ principes arbitrari ut legem Dei & verbum Domini nostri Iesu Christi, cum quo etiam universæ Ecclesiæ legitimíque Concilij summum religionis & fidei & morum judicium esse debet, supra se esse cognoscant. Nam si verissimè à summis philosophis dictum est de legibus humanis sua sponte interituris, magistratum ceteris, leges etiam magistratibus imperare debere, quid de his censendum esse quæ à Deo hominibus traditæ essent & ea conditione acceptæ ut cùm cœlum & terra elementáque omnia interitura essent, hæ tamen futuræ essent sempiternæ? Itaque supra legitimum Concilium & justissimum conventum, cui se Dominus noster Iesus Christus pollicitus esset adfuturum, non modò Pontificem Romanum, sed ne angelos quidem esse judicari. A quo Concilio quicquid uspiam hæreret in Ecclesia vitij emendari, corrigi, castigari, corripi necessarium esset, necnon singulis quibusque partibus & simul universo Ecclesiæ corpori prospici deberet, neque quæ in illo cœtu decreta essent ulla ratione solvere licere summo Pontifici, nisi de Concilij, id est, ipsius Ecclesiæ sententia. Insolenter

ergo admodum & ignoranter ſummum Pontificem facere, qui hos officio ſuo legitimè fungentes accuſaret; indignè verò, ne dicam impiè, qui omni ſublato delectu & diſcrimine indoctos, ſceleratos, nec prorsùs idoneos, legibus ſolveret, contra ſacroſancta Conciliorum decreta ſacris initiaret, Eccleſiis præficeret, invitíſque iiſdem obtruderet, & veterem Eccleſiæ diſciplinam labefactaret. Petrum ejúſque ſucceſſores ſic à Chriſto principatum in Eccleſia accepiſſe ut reliquis Epiſcopis ſollicitudinis & laboris ſibi attributi partem obeundam relinquerent; quibus omnibus ita ea divina poteſtas non in everſionem, ſed in ædificationem, conceſſa eſſet ut quemadmodum omnes qui ea abuterentur ſummus ipſe Pontifex cenſuræ ſpiritalis imperio ſacris arcere & diris devovere poſſet, ita ab iis Concilio legitimo, cui ſubeſſet, coactis, ſi in Chriſti ſponſa Eccleſia ipſe præpoſtere verſaretur, & hæreſeon fœdorúmque abuſuum prodigiis tanquam inceſtis & adulteriis eam contaminaret, coargui, caſtigari, ſua etiam de ſede dejici, & pontificatus honore abdicari poſſet & deberet. Quæ capitis ad cor, jecur, & reliqua vitalia humani corporis membra proportio eſſet, eandem ſuam ad Epiſcopos omnes eſſe cognoſceret; à capite ſen-

tiendi, movendi, ſapiendíque initium & principatum eſſe; à corde verò vitalem vim, ut à jecore nutriendi, exiſtere, ab iis & aliis partibus capiti regeri & refundi, ſine quo conſiſtere & principem dignitatem obtinere non poſſit. Idem de ſe ſummus Pontifex niſi intelligeret, exitioſum & pernicioſum ejus pontificatum Eccleſiæ fore. Privatas autem doctorum & piorum hominum coitiones in ſingulis nationibus & diligentes de vita & moribus & doctrina populi ſibi commiſſi per ſingulas diœceſes cognitiones inquiſitionéſque ante Concilij univerſalis, ad quod omnia referri oporteret, celebrationem non ſolùm expetendas, verùm etiam, ut maturo judicio depravata corrigi & emendari poſſent, ut neceſſarias flagitandas eſſe. Non eſſe porrò alienum & abhorrens ab officio & veteri more Regum, quorum eſt Eccleſiæ majeſtatem ſanctitatémque tueri, ubi ceſſantes & inofficioſos Pontifices Epiſcopóſque vident, illos ſui officij commonere, & ad Eccleſiæ labefactæ inſtaurationem hortari atque etiam renitentes & officium detrectantes cogere.

L V I. Quam dicendi gravitatem & libertatem tantum abeſt ut aſſentandi & ad gratiam loquendi ſtudio uſurparet ut eadem, ubi res poſtulabat, erga Regem ip-

ſum non minùs uteretur. Nam cùm ei ejus legationis Principi deſtinato quam ad Concilium quod futurum credebatur Rex Franciſcus mittere ſtatuerat, ipſe ſua jura, privilegia, Regúmque Franciæ prærogativas in Eccleſiis, quas ſartas tectas ſibi ſervari cupiebat, commendaret, ingenuè reſpondit ſuam ſe vitam & fortunas & omnia quæ Regi accepta ferret libenter ceſſurum & reſignaturum eſſe, animi autem ſui examen & conſcientiæ intimæ judicium ultimámque in conſtituenda religione ſententiam Deo & ejus Spiritui ſancto ſervaturum. Quod reſponſum etſi præter ſpem accidit Regi, tam æquo tamen animo homo ſapiens & æquus tulit ut prolixè dilaudarit & ad conſtantiam in ſancta ſententia retinendam hortatus ſit. Memini itidem cùm ante annos ſeptem, urgentibus à Cæſare & Britanniæ Rege bellis, exhauſto ærario, novarum rerum & Regi placendi cupidi quidam ei auctores eſſent ut iis omnibus qui in ſuo regno certam pecuniam ſibi penſitarent, à Pontifice jejunij quadragenarij tempore poteſtatem veſcendi carnibus impetraret, iis omnibus animo præſenti tanquam parum conſentanea locutis reſtitiſſe, & præterquam quòd talis veteris diſciplinæ mutatio pecuniæ cauſa ſuſcepta ſordida videretur, Regi di-

xiſſe fruſtra id à Pontifice contendi, per quem ſine Concilio ejus decreti auctore relaxari & concedi non poſſet.

L V I I. Magna ſunt quæ adhuc commemoravimus; ſed quæ ſi conferantur cum ultimis officiis quibus in morte Regem Franciſcum proſecutus eſt, levia videri queant. Quem ut ancipiti morbo correptum vidit, de quo non ſatis proſpera medici pronuntiarent, & vis ipſa morbi ſemper magis atque magis ingraveſcens promitteret, ad divinam opem miſericordiámque implorandam ita convertit, ita noctes & dies lectulo ejus affixus ſacrarum rerum myſteria explicando conſolatus eſt, ut ad obeundum mortis vadimonium, velut ad ſuave balneum lautúmve convivium, alacrem lætúmque & morbi atrociſſimi velut ſenſu vacuum reddiderit. Quanto verborum torrente & ſententiarum gravitate ad pœnitentiam noxiarum in vita contractarum & animi accerſendum medicum, à quo, cùm eas ritu Chriſtiano confeſſus eſſet, expiaretur, eum incitavit? Qua orationis ſuavitate ſimul & ubertate primùm ad ſalutiferæ euchariſtiæ, deinde ad ſacræ perunctionis ſummæ obeunda ſacramenta illum veluti divinitus admota face incenſum deduxit? Quanta porrò verborum tum dignitate tum copia Chriſtianæ juſti-

ficationis fiduciam in sacratissima Iesu Christi cruce ínque sanctissimo ejus pro nobis expiandis & Deo conciliandis in ara crucis effuso sanguine collocandam esse illi persuasit? Quibus divinæ sapientiæ oraculis veluti satellitibus invictis munitum, & hostibus fidei nostræ impenetrabilem redditum, adeo felicitatis in cœlo piis animis destinatæ cupientem reddidit ut, spretis tanti regni opibus, mortísque terroribus omnibus conculcatis, summis à Deo precibus contenderet sibi ut bona ejus venia ex hac statione, in qua ab ipso locatus esset, decedere, ex hac inquam misera vita ad illam cœlestem labis omnis & terrenæ contagionis expertem emigrare concederet. Extant orationes duæ funebres non minùs disertæ quàm veræ post Regis mortem ab eo pronuntiatæ & editæ; ex quibus quàm piè, sanctè, & Christianè ille suo fato functus sit, quivis cognoscere potest. Quam ultimam Regis in bene moriendo felicitatem, quæ omnibus in exemplum statui debet, ut primùm Dei beneficentiæ omnium bonorum auctori lubentes tribuimus, ita proximè Castellano monitori Dei certissimo instrumento regiam bonitatem ad salutaria flectere solito acceptam ferre debemus.

LVIII. Mortuum Regem duobus mensibus,

menſibus, donec humaretur, communem patriæ parentem ſine ſimulatione ereptum profeſſus eluxit. Quo toto tempore apparatu regio exequias celebrari, piis precibus per religioſos homines ejus animum Deo commendari, eleemoſyníſque in pauperes erogandis Deum illi propitium & placatum reddendum curavit. Atque cùm permulti veteres Regis clientes, velut inſtante hyeme hirundines, avolarent, novi Regis gratiam aucuparentur, eos qui erant apud Regem prima auctoritate prehenſarent, favorem novis rationibus captarent, ipſe quieſcere, ſilentium tenere, neminem ambire, in nullius familiaritatem & gratiam ſe inſinuare, nulla alia re quàm parentalibus & juſtis mortuo perſolvendis occupatus eſſe, in ſqualore & luctu funeri perpetuò adeſſe; ubi illi rite parentatum eſſet, apertè præ ſe ferre ſe aula relicta ad ea ſacerdotia quæ ſibi commiſſa eſſent adminiſtranda profecturum. Quod conſilium cùm non probarent ejus amici, quòd Margaretam Regis filiam lectiſſimam virginem mœrore atque angoribus confectam, lamentis & lachrymis deformatam, deſeri poſſe non putarent, quòd Henrico Regi non minùs gratum eum quàm patri mortuo fuiſſet dicerent, quòd nondum ſatis ampla nec ſe digna, quæ certò ſpe-

rare debebat, & sibi & amicis consecutus esset, sic iis respondebat, à se parum auxilij ad dolorem aliorum levandum expectandum esse qui ipse dolore opprimeretur; quod tamen posset, tota vita Margaretæ omnia humanis majora promeritæ per literas, cùm abesset, & coram, si quando in suo episcopatu officio functus illi adesse posset, præstaturum. Regis verò de se judicium & propensam voluntatem non aspernari, sed ætates & studia disparia cùm essent, admoneri ut cum annis mentem mutaret, maturè receptui caneret, ad gregem sibi commissum evangelij pabulo reficiendum tandem aliquando animum adjiceret, se autem plura consecutum esse quàm unquam optarit aut sperarit, iis facilè contentum esse quæ jam haberet. amplas opes animi æquitate, non magnitudine earum aut numero, definiendas esse, non defuturum quoque unde amicis & de se bene meritis de suo consulere posset.

LIX. Itaque ea mente in aulam profectus ut Regis, Reginæ, & Margaretæ sororis regiæ bona cum venia Matisconem ad obeunda digna Pontifice munia se reciperet, hujus lachrymis, Reginæ precibus, & Regis imperio victus se fluctibus aulicis ad tempus, ut aiebat, resorberi passus est. Quod quidem alienum jam ætate & officio

ejus qui Episcopus esset, ut meritò à bonis viris & religionis amantibus improbari potuisset, si voto, ambitione, aut suo judicio commisisset, ita quod unus ferè è tanto illustrium hominum numero, quibus Francisci Regis aula florebat, relictus sit qui virtutis doctrinæque singularis nomine eundem dignitatis, auctoritatis, & gratiæ locum apud novum Regem retineret; quem & ejus imperio relinquere, cùm maximè cuperet, vetaretur, non ad obscuram ejus gloriam pertinet. Et primùm quidem cùm eum Rex Delphino filio primogenito literis instituendo præficere vellet, cùm eam provinciam à suis rationibus, ut aiebat, valde alienam per amicos enixè deprecatus esset, & Petro Danesio, viro virtute & doctrina eximia prædito, eam mandari curasset, ut quomodo Francisco vivo consuevisset, aulam sequeretur, à Rege jussus est.

LX. Accidit postea paucis mensibus ut è vivis excedente antistite Constantiensi, magno Franciæ Eleemosynario, in ejus locum, quo jam olim Rex eum dignissimum pronuntiaverat, ejusdem constanti judicio & jussu substitueretur; quem cùm detrectaret, quòd alienum homine literarum studioso, quarum studia deserere nollet, id munus esse dictitaret, præclusis omni-

bus excusationibus obire à Rege jussus est. Quem honorem ubi sibi gerendum esse necessariò vidit, sic ad eum pro dignitate gerendum se comparavit ut statim, veluti signo elato, omnes homines ad bene sperandum excitaverit. In primis ut quæ sui muneris essent cognosceret, archiva & chartophylacia, in quibus acta publica & vetustatis monimenta in Curia Parisiensi adservantur, diligenter excuti curavit. Quibus non contentus, sacris ceremoniis præfectos, Curiæ Præsides, regios in eadem procuratores & patronos, tum etiam rationum regiarum auditores & magistros in consilium adhibuit. Ex quibus cùm didicisset quæ sui essent officij, quæ sibi sacerdotia regio nomine conferenda essent, quarum rerum procuratio ad se pertineret, ea diligentia, fide, continentia, & disciplinæ domesticæ severitate omnia administravit ut qui honos antè eorum negligentia & secordia quibus mandatus esset penè obsolevisset & jacuisset, jam illustris explendescere & suo nitori lucíque restitutus esse videretur.

LXI. Est enim is honoris gradus omnium ecclesiasticorum in Gallia facilè princeps; quo qui donatus est, Regi è somno excitato inter primos salutatores adesse solet, & de eo cognoscere quo in-

loco & tempore rem ſacram peragi velit. Aulæ totius regiæ unicus Epiſcopus eſt. Quocunque in loco per totum regnum Rex verſetur, ab eo ſacramenta petere ſolet. Sacello Regis ordinando, cantoribus ejuſdem & ſacerdotibus omnibus aulam ſequentibus præeſt. Diſpenſatio regiæ in pauperes beneficentiæ & pauperum omnium curatio ejus unius propria eſt. Ad ejus etiam curam pertinet per univerſum regnum iis omnibus pauperum peregrinorum domiciliis quæ tum ptochodochia tum xenodochia appellant, atque etiam iis quæ lepra infectis olim à Regibus attributa ſunt, adminiſtratores idoneos præficere, præpoſteros & inutiles loco movere. Quæ ſi etiam ab aliis quàm Regibus condita primùm, in eundem finem & cenſu dotata ſunt, & præter conditorum & inſtitutorum mentem contráque æquum & bonum quid in iis geratur, ejuſdem eſt omnem animadverſionem ad ſe revocare, numerum leproſorum aut aliorum miſerorum explere, ad referendas rationes omne procuratorum & adminiſtratorum genus cogere, corruptè, infideliter, aut ſocorditer in ſuo munere verſatos exigere, alióſque in eorum locum ſubrogare, omnia quoque ſacerdotia quæ regiæ poteſtatis ſunt, quæ plurima ſunt, præter epiſcopa-

tus & abbatias, donare & conferre. Ad ejus quoque officium pertinet primo quoque Regis in oppida ingressu maleficos carceribus inclusos, regia venia eis concessa, laxare & liberos impune emittere. Quæ omnia, cùm superioribus temporibus ad questum conferri solita essent, aut valde segniter administrarentur, ad eam diligentiam severitatemque revocavit ut nullum leprosorum pauperúmque valetudinarium esset, in quod ipse ingressus, quo cibo potúque & quibus horis miseri reficerentur, quibus pharmacis & medicamentis curarentur, non accuratè exploraret. Ipse ad pharmacorum officinas & cellas vinarias culináfque accedere, non oculis solùm, sed palato & lingua singula cujusmodi essent experiri, beneficiarios ipsos & admissos valetudinarios cum magistris & administratoribus committere, quantus esset cujusque loci reditus cognoscere, querimonias, expurgationes, accusationésque & defensiones audire, concordiámque inter dissidentes demum aut sarcire, aut per quos pertinaces, odiosos, & intractabiles stare videbat quominus ea sarciretur, relegare & tollere. Eorum locorum qui piis usibus destinati essent administratorem nullum creare nisi loci uniuscujusque indigenam ibidem larem & fun-

dum habentem, qui vicinorum bonorum virorum justo testimonio probatus & commendatus ad rationes referendas sponsoribus datis se obstringeret, quísque pro administrationis præmio portionem fructuum nullam sibi indipiscens, caritatis Christianæ affectu eò aspiraret. Ita enim statuebat, neminem ibi officio suo functurum, aut qui in loco procul dissito ageret, aut ex ea re lucrum quæreret. A cujus cupiditate ut etiam longiùs administratores abduceret, néve temporis progressu bona intervertere & sibi vendicare possent, non eos in totam vitam, sed in triennium duntaxat, rerum administrationi præficere meditabatur. Cúmque multis in locis patronorum magistrorúmque tum incuria tum avaritia ædificia collapsa rimis fatiscentia & ruinam minantia, tum etiam possessionum censuúmve majorem partem interversam & jam privati juris multorum factam esse cognosceret, ex edicto regio multa capita ad hanc rem pertinentia complectente cognitores & recuperatores dedit, qui omnia piis locis adempta & privatis attributa vendicarent, & iis locis quibus erant detracta redinsererent, quæve damna administrantium fraude quæque loca sensissent, de eorum, aut, si mortui essent, de heredum bonis æstimarent, &

parietinis instaurandis censuíve augendo quod æstimatum esset attribuerent. Et quoniam à primis plerisque eorum piorum locorum conditoribus certa clausula expressum & cautum erat ut certis è locis aut lepra infecti valetudinarij aut alioqui pauperes peregrini ad eorum bona perfruenda vocarentur, qua ratione fiebat ut multa propter majorem aëris salubritatem aut regionis fertilitatem miseris vacua essent, alia non pauca aëre caliginoso & corrupto solíque sterilitate aliter affecta inopes quibus redundarent alere & sustentare non possent, hanc certam circumscriptionem eodem edicto regio antiquari atque abrogari curavit; perfecítque ut si intra eos limites, quibus quæque loca à primis conditoribus erant circumscripta, non reperirentur, horum subsidiorum egentes & leprosi è locis vicinioribus accerserentur & numerum cuique loco pro censuum modo constitutum, donec è locis definitis alij offerrentur, explerent. Quod si ne hac quidem ratione numerus expleretur, non quidem ut proventus ad administratores pervenirent, sed & vicariorum suorum, quos ubivis locorum creaverat, judicio atque arbitratu in alios usus pios erogarentur. Atque etiam quod eadem vel administratorum vel patronorum rapacitate &

negligentia censibus ferè omnibus imminutis, interceptis, & aversis per singulos pagos usu venerat ut singuli suis leprosis tuguriolum temporarium extruerent, quod unà cum mortuo concremarent, permissa interim hac labe pollutis ostiatim emendicandi potestate, ea consuetudine abrogata, quod & idem edictum complectebatur, perfecit ut magno aliorum bono, quos contagione corrumpebant, & supervacaneo sumptu gravabant, intra publicas ædes, quas valetudinariorum administratores refecissent, retraherentur, & prohibita ostiatim mendicandi effreni licentia, eorum reditibus alerentur.

LXII. Regia autem omnia beneficia & sacerdotia possessoribus vacua sic distribuebat ut ad clientes ejus & ministros nullum omnino perveniret. Quæ si liberæ conditionis juríſque essent, iis duntaxat qui regiis sacris erant addicti, sin autem referendis rationibus obnoxia, & pauperum usibus attributa, nemini in gratiam cujusquam, quantumvis à potentibus & principibus commendato, sed iis duntaxat quos delineavimus, conferebat. Ita velut Vlysses quidam Homericus adversùs gratiam atque omnem alium animi affectum aures obturaverat. Quo brevi factum est ut cùm permulti sua vulnera tangi & plagas cica-

trice obductas refricari atque gratiæ & flagitationibus omnia apud eum septa animadverterent, invidia atque odio stimulante ei apertè obtrectatores, clam inimici existerent. De quo cùm à me frequenter admoneretur, eam esse naturam virtutis & officij dicebat ut in disciplinæ veteris labefactatione magna, principio præclara facta ingrata & odiosa essent; fore aliquando, rebus in meliorem aliquem gradum repositis, ut ab hominibus probarentur & sublata è medio requirerentur. Ceterùm Deo & animi recti conscientia fretos non ex hominum sua commoda sectantium opinione pendere, nec admodum obtrectationes atque invidiam curare oportere. Quò etiam si respiciendum esset, scire se Regi, cujus unius judicium & voluntatem, ut Platonis Antimachus, multis millibus aliorum anteferret, pro insita illi virtutis admiratione & amore quod instituebat esse & semper fore gratissimum.

LXIII. In exercendo autem suo munere sic ad imitationem sui familiares suos, vicarios, scribas, & clientes, quorum opera utebatur, converterat, atque ad eam liberalitatem abstinentiámque deduxerat, ut ne pro conficiendis quidem rei cujusquam, quantumvis magnæ, literis ullum nummum acciperent, procurationes,

administrationes, facinorum venias, visitationes, inquisitiones, ordinationes, judicia, omnésque jurisdictionis partes, atque alia omnia quæ ad hoc sanctum religiosúmque munus pertinent gratis frequenter etiam magno suo sumptu & damno obirent, exequerentur, & peragerent. Pecuniam regiam pauperibus destinatam, non, ut antea, vatis mendicis & erronibus, qui passim, obsidentium modo, maxima turba magnorum Eleemosynariorum ædibus circumfundi solebant, minutim distribuebat, verùm iis qui pudore mendicitatem refugientes, rerum omnium penuria laborantes, aut adversa valetudine præpediti domi additi latebant; idque solùm iis in locis in quibus Rex tum temporis diversabatur. Itaque advocatis loci curionibus, sacerdotibus, magistratibúsque, de iis cognoscebat in quos præcipuè bene collocare beneficium posset. Sic statuebat, nihil reipublicæ esse magis pestiferum atque exitiosum quàm eos publicè mendicantes ferre qui sani & valentes, cùm opus faciendo suis civibus usui esse possent, otio primùm & ignavia delectati, mendicitatis prætextu paulò pòst furarentur, latrocinarentur, rebus venereis animos explerent, & demum in omne flagitiorum libidinúmque genus sese ingurgitarent, exem-

plóque pravo disciplinam aliorum bene constitutam majorúmque instituta dissolverent & labefactarent. Itaque hos, ubi oblati essent, aversari, propellere, iisque carcerem comminari, & apertè profiteri se ne teruncium quidem daturum esse. Contra verò ubi cognovisset (sed gravioribus testimoniis. nam nemo magis unquam hominum hac in re insidias timuit) in quos regia hæc pietatis plena liberalitas exerceri posset, non regiam pecuniam, sed & suam, ita profundebat ut unde familia aleretur statim ab amicis mutuò corrogandum esset. Itaque, ut jam diximus, hæc caritatis Christianæ subsidia in pauperes verecundos honesti studiosos ægrè se suámque familiam alentes, mendicitatis tamen hujus expertes, sœpissime etiam in pauperes utriusque sexus in monasteriis religionum professos, nonnunquam etiam virgines nubiles dote cassas, ut nuptum honestè elocarentur, interdum in captivos qui nec carcerum custodibus nec creditoribus solvendo essent liberandos, conferebat. Qui omnes, sed omnium maximè postremæ huic miseræ servituti addicti & mancipati, cùm longa carceris illuvie sordibúsque fœdati spe omni destituti, in luctu & lamentis jacerent, facilè humanitatis sensu præditos ad sui commiserationem

commovebant. Quam ad rem cùm ordinaria Regis pecunia ſatis non eſſet, extra ordinem ordinaria majorem à Rege frequenter impetrabat. Quæ etiam cùm laxandis omnium vinculis non ſufficeret, à proceribus aulæ Cardinalibúſque & Epiſcopis aulam ſequentibus viritim conficiebat. Qua ratione memini, quo tempore regia pompa & triumpho Rex Henricus Lutetiam ingreſſus eſt, in ejuſmodi pios uſus ultra octingentos aureos bidui ſpatio coegiſſe, eáque pecunia captivos omnes ſuam pauperiem ſine dolo malo teſtificatos, carcerum cuſtodibus creditoribúſque vocatis, pecuniæ portione accepta, parte remiſſa, aut in aliud tempus ejus quod ſupereſſet ſolutione rejecta, acquieſcentibus, liberos emiſiſſe. Quæ cùm non minùs diligenter quam piè & ſanctè adminiſtraret, tum verò ea pietate & religione ſacra templa aliáque loca religioni paupéribúſque & adverſa valetudine laborantibus recipiendis dicata obibat, ita in his degentes ad caſtitatem, modeſtiam, paupertatémque, & duros fortunæ ſiniſtræ caſus fortiter perferendos adhortabatur, ita gaudiis in cœlo perfruendis ſolabatur, ita pœnis & præſentibus & futuris ſceleratos apud inferos manentibus deterrebat, ea liberalitate & regia & ſua eos proſequeba-

tur, & sanctos eorum conatus se promoturum promittebat, ita Opt. Maximíque Dei promissis certissimis confirmabat, ut cùm omnibus lachrymas ubertim expressisset, omnes optima spe præditos ad omnium laborum perpessionem religionísque studia magna alacritate obeunda inflammatos dimitteret.

LXIV. Vix verbis exprimi potest quantis sudoribus & molestiis operam dederit ut mulieres, quæ Lutetiæ corpore vulgato quæstum meretricium fecissent, ex vitæ contaminatæ pœnitentia ad castitatem, bonam frugem, & religiosam vitam in monasterio profitendam conversæ, verè id quod profiterentur præstarent. Nam cùm iis reditibus qui ad usus vitæ necessarios requiruntur destitutæ vicatim & ostiatim mendicare cogerentur, & ejus rei occasione sui copiam magno cum probro facere vulgò dicerentur, re priùs diligenter multùmque cum prudentibus bonísque viris communicata, illis demum multis rationibus, quamquam ægrè, persuasit ne monasterium semel ingressæ, cum hac ignominiosa boni nominis & famæ jactura per urbem in posterum divagarentur. In primis ex Regis ærario ingentem pecuniæ summam, qua æs omne alienum quod contraxerant dissolveretur, impetravit. Dein-

de in futurum iis hac ratione consuluit, ut lanificio, texendísque & acu pingendis aulæis, ceterísque ejus generis muliebribus operibus conficiendis, sumptus partem aliquam conficerent; reliqua justo earum numero sustentando necessaria ut aliunde partim ex regiis opibus, partim ex piorum locorum, quæ valde opulenta, pauperibus tamen vacua, censu majore quàm necesse esset redundarent, pro facultatum portione iis attribuerentur. Quod donec constitutum esset, & per Pontificem Romanum Regémque confirmatum, pecunia ostiatim & per singula templa ab iis ipsis colligi consueta per matronas sanctas & fideles caritatis & pietatis igne succensas cogeretur, & earum monasterio importaretur. Id quia nec tantæ multitudini satis futurum videbatur, ex ea pecunia quæ reis damnatis & multatis aut alio caducario jure Regis fisco infertur, reliqua necessaria supplerentur. Quod opus pium sanctúmque certis hominibus tum Regis fiscum exhauriri profusis largitionibus improbè querentibus, tum ceterorum locorum census contra primorum institutorum mentem aliò transferendos non esse dictitantibus, sœpius interpellatum morte præventus inchoatum imperfectúmque reliquit. Dum tamen vixit, quoad potuit,

ut in instituto semel suscepto castè continentérque intra sua septa vivendi constanter perseverarent, magna semper eas liberalitate, tum regia, tum sua, ita prosecutus est ut rebus ad vitam tuendam necessariis non destituerentur.

LXV. Eodem quoque caritatis affectu cœcorum trecentorum, quorum collegium divus Ludovicus Rex, post eam cladem quam in Africa trecentis equitibus cœcatis acceperat, Lutetiæ Parisiorum instituit, inopiam identidem sublevabat: quos etiam pauperes admodum, & multis miseriis pressos, & ex eadem mendicitate per regnum universum vitæ subsidia quærere majore ex parte coactos, si diutiùs ei vivere contigisset, beneficentia regia aliquando dotare & justis reditibus locupletare meditabatur.

LXVI. Vehementer quoque probabat & magna liberalitate prosequebatur ea puerorum utriusque sexus collegia quæ à civibus hujus urbis paucos ante annos magno reipublicæ bono instituta sunt; in quibus pecunia à privatis in commune collata pueri inopes, parentibus orbi, literas primùm & prima religionis elementa, hinc varia pro cujusque ingenio opificia vitæ humanæ excolendæ necessaria magistris ibidem sumptu publico conductis

ctis docti, operi faciendo ad adolescentiam usque aluntur. Quo tempore illinc velut è feraci quodam reipublicæ seminario in mercatorum aliorúmque opificum ædes, qui eorum inopiam antè suis opibus sublevarant, & velut pretium hujus institutionis persolverant, transferuntur.

LXVII. In peregrinos etiam varios huc è longè dissitis orbis regionibus profectos, ut Græcos, Asiaticos, Mauróque, & Æthiopes Christi persuasionem retinentes, ad suos, qui captivi à Turcis detinebantur, redimendos Christianorum opem implorantes, valde hospitalis & beneficus erat; præcipuè si suam calamitatem Patriarcharum suorum literis Romani Pontificis diplomate comprobatis testificarentur. Nec minore caritatis affectu in eos propendebat qui sacra loca & præcipuè sanctissimum servatoris nostri sepulchrum religionis ergò adibant, vel ad alendos ab injuriísque Turcarum vendicandos monachos qui ibidem certi tributi pensitatione excubant & religiosè sacris operantur. Quibus omnibus, memor, credo, molestæ & præplexæ olim peregrinationis suæ, à Rege ingentem frequenter pecuniæ summam extra ordinem, frementibus quæstoribus, conficiebat. Quòd si sacræ antiquitatis signum aut monumen-



tum, quod nobis ullum vetustum religionis mysterium repræsentaret, à Turcarum sævitia velut è luporum faucibus ereptum huc adferretur, venerabundus osculabatur, adorabat, & ad illud emendum summa quantumvis magna Regem impellebat. Tribus antequam moreretur mensibus, pro virginis matris imaguncula ligneis emblematis è sacra cruce in qua Servator noster pependit exectis distincta, Constantini tempore contra hæreticos imaginum oppugnatores ita artificiosè depicta ut loqui & spirare eminus aspicientibus crederetur, eam rem promovente illustrissimo Cardinale Lotharingo, aureos mille Græco mercatori, qui eam attulerat, numerari de regia pecunia curavit. Nam quamvis non in simulachris rebúsque externis, sed in uno Christi sanguinis effusi mysterio, spem fiduciámque nostræ salutis collocandam esse censeret, externa tamen omnia alicujus sacri mysterij veritatem nobis adumbrantia religiosè olim consecrata magna cum veneratione à nobis retinenda & contrectanda esse judicabat. Turcas vel Regi donatos, vel ab iis à quibus capti fuerant fuga elapsos, donec docendo hortandóque fidei Christianæ elementis imbuisset & sacramentis initiasset, nunquam quiescebat; Christianismum

professos annuo Regis stipendio prosequendos aut honoribus ornandos procurabat. In castris sauciatos & vulneratos, aliósque fame, frigore, inedia, alióve morbi genere fractos debilitatósque ea sedulitate adibat, verbis solabatur, potu cibóque reficiebat, medicamentis curabat, opera, industria, oratione, pecunia se totum in eos effundebat, ut omnes tanquam sydus salutare eum adorarent, & Regi ipsíque ejus administro immortales gratias agentes, intrepidi nullum non discriminis genus adirent, ipse verò Rex, Principésque, & Duces tantam in eo caritatem liberalitatémque stupentes admirarentur.

LXVIII. Quoties Lutetiam veniebat, promiscuam mendicorum ubique hominibus occurrentium colluvionem, in valetudinariis publicis præposteram ægrotorum tractationem, in aliis pauperum peregrinorúmque domiciliis socordiam sordésque conspicatus, vehementer accusabat eos quibus horum omnium procuratio mandata esset; neque audiendos esse putabat qui in populosa civitate tot undique confluentibus calamitosis provideri non posse dictitarent. Vehementer quoque improbabat quòd eleemosynæ naturam pervertentes, ex edicto regio in sin-

gula capita certam pecuniam in pauperum usum persolvendam imperarent, & quasi vectigal & tributum regium esset, pignoribus ablatis, ad persolvenda imperata cogerent. Abundè enim consultum iri pauperibus dicebat si certi homines non minore gravitate & constantia quàm fide & prudentia magistratuum potestate præditi deligerentur, qui mendicos ex professo mendicam vitam instituentes & hinc malorum omne genus invehentes ejicerent, pervicaces, nec dicto audientes, virgis cæsos carcere plecterent, iisque in aliorum exemplum graviora comminarentur, reliquos verò valentes & vigentes resides & otiosos esse non paterentur, ad opera publica facienda, quæ sumptu publico excitarent, si deessent privata, cogerent, operi faciundo ineptos nec idoneos, ut ægrotos, mutilos, decrepitos, nutrirent, pluribus liberis gravatos quàm quos labore quotidiano alere possent aliquo supplemento adjuvarent, peregrinos, nisi qui pauperes essent, & propter certum negotium aut religionis ergò domo abessent, non ultra tempus illis è rei ipsius necessitate definitum in sua civitate versari paterentur; pecuniam verò horum usibus dispensandam hoc modo colligerent, singulas omnium ordinum familias tertio quoque mense adi-

rent, quantum in trimeſtre in pauperum ſuſtentationem & caritatis officia elargiri vellent ſciſcitarentur, & in publicum commentarium referrent; exacto trimeſtri, eodem reverterentur, rogaréntque num fortunis auctis deterioribúſve factis addere quid primæ ſummæ aut de eadem aliquid detrahere vellent. Ita confecta cujuſque trimeſtris initio ratione ſumma, viderent quantus numerus pauperum & quantum in ſingulos diſtribuendum eſſet. Ita futurum dicebat ut homines, qui commiſeratione Chriſtiana ad hoc munus caritatis invitandi non civili exactione cogendi ſunt, cùm vagis iſtis erronibus paupertatis ſpecie peſtem frequenter & vitiorum omne genus importantibus ſublatis, quàm probè veris pauperibus conſultum eſſet, viderent, ſinus omnes liberalitatis laxarent, & ſuas opes certatim juvandis pauperibus profunderent. Huc addebat, ut quæ pauperum peregrinorúmque receptacula hac ratione vacua manerent, meliorem ſuorum redituum partem publico huic pauperum ærario inferre cogerentur. Cur enim quæ diſpenſanda pauperibus olim à viris piis legata ſunt Epiſcopi, Canonici, ceteríque locorum patroni aut interverterent, aut ſuis mulionibus, cocíſque, & lenonibus fruenda conferrent? Accuſabat

frequenter & conqueri ſatis non poterat quòd in iis valetudinariis aliiſque domiciliis pauperum peregrinorum leproſorúmque alimentis atque ægrotorum curationi deſtinatis proventuum bona pars in ſacrificos magno numero precibus canonicis decantandis operantes profunderentur. Quorſum enim, religionis obtenta ſpecie, hac inducta Deo preces decantandi pauperibúſque ſuccurrendi confuſione miſerorum conditio deterior redderetur? Accuſabat & hoc quoque graviter, quòd in iis valetudinariis eodem temporis articulo omnibus veluti ſanis & valentibus cibus idem inſuavis ferè & concoctu difficilis ſine ullo delectu & diſcrimine omnibus miniſtraretur. Cur enim de vita periclitanti non lautius aliquid & ſeorſum, & tempore quo deferbuiſſe vis morbi videretur, à peritis hoſpitalibúſque exhibeatur? Quòd ſi quibus pauperum ægrotorúmque adminiſtratio commiſſa eſt hanc curam proviſionémque adhiberent, futurum eſſe ut omnes homines & in vita Deum demereri cupientes, & condendo teſtamento de emigrando ex hac vita cogitantes, quæ olim cœnobiis in quibus homines votis religioſis ſe conſecrarent attribuebant, ea omnia ad hanc pauperum, peregrinorum, leproſorum, ægrotorúmque cura-

tionem & alimenta converterent.

LXIX. In reformando Pontisarensi valetudinario, quod à divo Ludovico Rege conditum & non exiguis reditibus dotatum esse constat, suæ continentiæ & gravitatis præcipuum specimen dedit. Quod cùm nobilis feminæ administratricis duorum monasteriorum antistitis negligentia à veteris disciplinæ severitate multùm recessisse compertum esset, & à Rege, ad quem querimoniæ deferebantur, ei emendando & instaurando operam dare juberetur, ab iis verò qui plurimùm apud Regem & gratia & auctoritate valebant rogaretur ut veteri antistite abdicata, aliam, quam proponebant, in ejus locum subrogaret, eam sententiam tulit quæ vero consentanea, omni odio & gratia vacua, omnibus qui deinceps rem ejusmodi suscepturi sunt ad imitandum proponi debet. Antistitem veterem, à qua petulantia muliebri impotenter appetitus erat, à Francisco Rege institutam, ne & odio suo indulgere & Principum aulæ gratiam sequi videretur, non abdicavit; sed repressa vitæ ipsius & vestalium altari & ægrotis ministrantium effreni licentia in biennium, intra quod administrationis suæ rationes referret, omni reditu fructúque loci privavit. Quo exacto, rationibus relatis,

in ipso cœnobio communi cum reliquis virginibus victu & tecto uteretur, néve eas ædes quas excipiendis amicis & hospitibus ex aula, cùm apud divi Germani fanum esset, eò convolantibus extra virginum septa ædificaverat, frequentaret, néve fructuum proventuúmque domus administrationem exerceret, sed moribus duntaxat & disciplinæ vestalium ægrotísque alendis & curandis præesse jussit. His addidit ut expensi & accepti rationes à dispensatore domus tractarentur; à quo coram ipso Eleemosynario, Vicariis ejus, & gravibus tribus civibus curationi domus ab ipso præfectis referrentur. Qua in domo ordinanda & instauranda cùm maximo suo sumptu menses duos consumpsisset, & de suo etiam in eos quos ad eam rem plurimos advocaverat inque pauperum usus largiter expendisset, de proventibus tamen domus nunquam quicquam attigit, neque ex tot tantísque impendiis vel tantillum regiarum eleemosynarum rationibus intulit.

LXX. Quo tempore cùm primæ nobilium classis vir Rupipotius equitum magistri frater antistitem uxoris suæ, ut aiebat, propinquam defensurus eò venisset, & asperè Castellanum nimiæ severitatis accusaret, eúmque in aliis vindicare quod in se admitteret criminaretur, cùm sacerdo-

tià & ipſe minimùm quatuor teneret, quæ, ſi rectè & ex officio eccleſiaſtico vivere vellet, uno excepto, quod præſens àdministraret, omnía dimitteret, poſtquam ſatis diù vociferantem in hunc modum tuliſſet, ea gravitate & facundia de ſuo officio & diſcrimine ſacerdotiorum & valetudinariorum reliquorúmque id genus piæ largitioni deſtinatorum locorum diſſeruit ut inſtinctu quodam divino verba fundere credi poſſet. Et primò ſe non ignorare neque inficiari quin magis cum pietate conjunctum & è dignitate Chriſtianæ religionis futurum ſit, ſi per ſe, non per Vicarios, Epiſcopi, Curiones, & reliqui ſacrifici ſua munera ſingula impleant. quod tamen hoc tempore fieret, ut ſoluti legibus aliqui plura ſacerdotia poſſiderent, à Pontifice Romano clavium poteſtatem ab Apoſtolis per manus traditam habente certis de cauſis legitimè & citra impietatem concedi poſſe arbitrari. Quòd ſi per Vicarios non ſatis idoneos ea adminiſtrarent, aut fructus ex iis perceptos in alios uſus quàm qui à Deo præſcripti ſunt converterent, & Romani Pontificis indulgentia atque Eccleſiæ auctoritate ad ſuas libidines abuterentur, malæ adminiſtrationis aliquando Deo rationem reddituros & graviſſimas pœnas daturos. Ceterùm donec per Con-

cilium aut aliam Ecclesiæ auctoritatem in eo Romani Pontificis potestas esset abrogata; ad nullum alium quàm Ecclesiæ tribunal negligentes & inofficiosos sisti, neque è pluribus ullum aliquod iis adimi posse, si aut per se aut per alios munere aliquo, cujus probabilis ratio reddi posset, fungerentur. Quòd si flagitiosè Ecclesiarum census & in alios quàm pietatis usus profunderent, soli eos Deo peccare, neque ut hominibus rationes accepti aut expensi referant astringi. Et quamvis hominum ecclesiasticorum sit bonam suorum fructuum partem in pauperes largiri, non tamen si in eo illiberalitatis convincantur, ad censuum nequiter expensorum restitutionem ab ullo mortalium cogi posse, quando primorum institutorum mens & voluntas hæc fuerit ut quibus hæc administranda mandarentur, decantandis Deo precibus & populo religionem docendo vacarent, arbitrariámque & liberam redituum administrationem haberent. Valetudinariorum autem & quæ tum ptochodochia tum xenodochia appellant longè aliam esse conditionem; ea miserorum & corpore malè affectorum usibus esse attributa; quorum census qui aliò converterent, veluti furti convictos ad restitutionem bonorum interversorum cogi & omni administratione ab-

dicari debere. Liberas esse & perpetuas sacerdotiorum administrationes, horum temporarias, & referendis rationibus obnoxias, ex quorum fructibus nihil ad ipsos administratores redeat. Se quidem vehementer optare ut hæc levissima indoctis & inertibus plura sacerdotia mandandi ratio, & per indignos Vicarios eadem administrandi intolerabilis abusus, aliquando corrigatur. Quod ubi Dei miseratione contigerit, se libentem & ex animo inter primos dicto audientem futurum. interim quod sui muneris esset, qui per universam Galliam vicaria Regis potestate leprosorum, pauperum, miserorúmque domicilia & valetudinaria omnia ab omni hominum injuria vindicare, omni rejecta intercessione, deberet & posset, ea se adjutore Deo non segniter procuraturum & asserturum. Quæ cùm in hunc modum, multis astantibus, disseruisset, qui eò iracundus admodum, voce minaci, vultúque truculento Rupipotius accesserat, tam æquus, lenis, & placatus discessit ut Castellano, à quo multò eruditior recederet, gratias immortales ageret, & quod ineptè & barbarè quæ ignoraret, ab uxore incitatus affinitatis studio, ipsum optimum & doctissimum hominem, sus, ut aiunt, Minervam, docere conatus esset, veniam deprecaretur,

LXXI. Paucis verò antequam illinc discederet diebus advocata sacratarum virginum concione, ea vi eloquentiæ rerúmque & sententiarum è sacris literis depromptarum tum gravitate tum copia de virginitatis, caritatis, & misericordiæ officiis mundíque contemptu nobis præsentibus disseruit ut omnes sese humi affligentes, maximis singultibus & suspiriis editis, sua pectora pugnis contunderent, & maximam vim lachrymarum profundentes se longè aliter quam superioribus temporibus officium facturas profiterentur. Quo in genere concionandi & ad pietatem religionémque cohortandi ita multifariam instructus erat ut quocunque ingrederetur, ex tempore, locis, personísque, & earum instituto aptas & congruas orationes haberet, quibus singuli in suo quique genere valde sibi placebant, & suæ vitæ institutum sacris literis præcipuè probari & Deo gratum esse sibi persuadebant. Ad virgines incontaminatas & virilis congressus expertes accedens, iis laudibus virginitatem extollebat ut qui eam animo puro & casto propter Deum coluissent, supremis divinorum spirituum ordinibus insereret. Ad virum aliquando passas, sed vitæ contaminatæ tædio in monasterio castitatem professas, ingressus, cùm fœditatem ve-

nereamgravissimis verbis insectatus esset, ea verba de resipiscentia & pœnitentia fundebat, ea è sacris literis exempla & testimonia ad laudem ejus vitæ ad pudicitiam sanctam conversæ adducebat, ut quæ prima oratione capillo passo humi consternatæ & pectora pugnis acriter tunderent, faciem unguibus deformarent, & lamentis atque ejulatibus omnia complerent, oratione postrema ad se revocatæ, manibus ad cœlum versis, Deo gratias agerent, se longè felicissimas prædicarent, & in suscepto vitæ instituto constanter perseveraturas iterum atque iterum voverent. Eodem modo cùm viduarum collegium ad Sequanam, non procul à loco qui ab arenis vulgò Gravia dicitur, situm inviseret, iis laudibus castam modestámque viduitatem ad cœlum efferebat ut cùm illæ propter modestiam nullum aliud religiosum vitæ genus improbarent, hoc unum tamen potissimum esse salutare crederent.

LXXII. Hæc tanta támque varia cùm ministeria obiret, tótque negotia multis molestiis implicata expediret, vetera tamen & usitata officia nunquam intermittebat. Ad Margaretam Regis sororem nihilo seciùs, atque etiam ad Reginam ipsam, quod & veteri laborum suorum

penſo adjecerat, quotidie fere adibat, cúmque iis de religione, de literis, & optimarum artium ſtudiis aliquid communicabat. Nec tamen privata ſtudia, neque hymnorum, pſalmorúmque, & reliquarum ſacrarum precum quotidianam recitationem lectionémque intermittebat. Ad hæc, Regis lateri, cùm rem ſacram faceret ſemper, plerunque etiam cùm pranderet inhærens, de rebus honeſtis ad literas aut religionem pertinentibus ſermonem faciebat, aut pro miſeris quamplurimis, præſertim qui Regi Franciſco olim inſerviviſſent, aſſiduus flagitator ſupplicabat. Quo deprecatore cùm plura quàm alio quovis per Regem multis donata & conceſſa regiæ gratiæ atque indulgentiæ codicillis illata inveniri primæ auctoritatis & nominis viri apud Regem ipſo præſente conqueſti eſſent, ipſe honeſti conſcientia fretus, nec minùs animo forti quàm ingenio prompto præditus, ecquidnam pro fratre, conſanguineis, propinquis, domeſticis, & familiaribus ſe flagitatore à Rege impetratum, ecquid unquam quo ipſe diteſcere aut ſuos locupletare poſſet poſtulatum legiſſent, ſtatim interrogavit. Quos cùm arridente Rege ſilentes intueretur, ſubjecit ſe non negare quin Regi pro bonis viris, innocentibus, miſeris, &

calamitosis, præsertim qui reipublicæ & Regi ipsiúsque vita functo parenti olim operam navassent, citra ullum suum privatum commodum sœpissime supplex factus esset. se semper id sui officij esse existimasse. quandocunque Regi aliter visum esset, aut quando se illi fore molestum cognosceret, lubenter hoc omne petendi & Regem multis de rebus ad hanc piam liberalitatem pertinentibus commonendi munus desiturum esse. Quo audito, statim Rex ipse subjecit quod ageret egisſétque sibi esse vehementer gratum, sibi ejus prudentiam, fidem, & abstinentiam ita esse notam ut nihil nisi valde honestum & reipublicæ salutare ab ipso postulari posse certò crederet.

LXXIII. Quod humanitatis officium cùm denegaret nemini qui regio beneficio non indignus videretur, ea tamen animi constantia à muneribus, quibus suam fidem tentari querebatur, abhorrebat ut si à quoquam qui aliquid à Rege impetrare vellet sibi quid promissum aut oblatum esset, omne illi officium statim denegaret, eúmque postea tanquam tetrum aliquem genium aversaretur. Quam ad rem quod Francisco regnante hisce oculis usurpavi non verebor huic sermoni inserere. Canonici Ecclesiæ regni totius primariæ variis

litium molestiis in tot tantísque quas habent possessionibus implicati, ut ab eo judicum Parisiensium tribunali quod nomen à libellis supplicibus habet, quod domesticis Regis officialibus solis concessum est, jus petere sibi liceret à Rege Francisco obtinere cupiebant. Id enim ad suas controversias citò finiendas magnopere referre arbitrabantur, quòd & è longinquioribus regionibus in jus sibi ut commodum ita adversariis incommodum vocarent, & in eo consessu in quo controversiæ, propter exiguum earum numerum, citò finiuntur, litigiosis tergiversandi, moras nectendi, & sinuosos labyrinthos struendi facultatem adimerent. Cùmque ejus rei gratia ad Castellanum supplices accessissent, quo deprecatore id facilè obtineri posse, propter eam qua florebat apud Regem gratiam, confiderent, facilè responsum ab eo quale optabant tulerunt, donec annulum quendam aureum, cui adamas nitidissimè splendens amplæ magnitudinis artificio vetusto inclusus erat, explicatum illi obtulissent. Quem ubi aspexit, quòd ad se venisse eos diceret tanquam ad hominem fidei venalis avarúmque & corruptum, cum alia longè persuasione quàm initio putasset gravissimè objurgatos dimisit, neque se unquam pro ipsis verbum
ullum

ullum facturum esse satis iracundè professus est. Similiter iisdem ferè temporibus Trapezitam pecuniosissimum, sibi alioqui vehementer carum, à se rejecit, cùm ad rationum quarundam, quibus Regi obstrictus erat, reliqua expungenda arculam ei ex jaspide duobus aureorum millibus & ampliùs æstimatam dono attulisset. Quam ejus barbaram humanitatem (ita enim loquebatur) tam graviter tulit ut non modò pro eo apud Regem non intercesserit, sed multis annis postea eum ne aspicere quidem dignatus sit. Quòd si ab iis qui nihil tale se patrono aut oratore à Rege impetrare cupiebant aliquid vel artificio vel materia vel utroque præcipuè visendum & præstans offerretur, & munus ipsum eorum nomine Regi offerebat, & qui dederant eidem commendabat. Si autem ejusmodi erant munuscula quibus donantium fortuna deterior fieri non posset, & amici erant qui donabant, non erat tam expers humanitatis & liberalitatis, nec cornea, ut ait ille, fibra, quin animo grato acciperet, & aliis vicissim muneribus illos remuneraretur. Vsque adeo pecuniæ contemptor & honesti religionísque amans erat ut cum è sacerdotiis tribus, quæ obtinebat, Francorum millia sexdecim accipere potuisset, si eorum census annuos

prophanis redemptoribus elocare voluisset, nunquam id, quòd parum religiosum esse judicaret, magno cum rei suæ familiaris detrimento admittere voluerit. Nam cùm ea per suos domesticos administrari vellet, quorum alij ejusmodi administrationis vel non satis periti vel oculo herili procul segnes rem malè gererent, aut fidei non satis integræ partem aliquam fructuum interverterent, aut de alieno quàm de suo liberaliores in res non valde necessarias domini censum profunderent, vix è tribus illis Francorum millia septem quot annis accipiebat. Et quemadmodum natura iracundior atque etiam severior erat, ita à vindictæ cupiditate & exercendis inimicitiis usque adeo abhorrebat ut ad eos cum quibus sibi aliquid dissidij intercessisset ultro accederet, & precanti similis cum illis in gratiam rediret, iis etiam à quibus vel graviter offensus & violatus esset, culpam agnoscentibus aut se excusantibus benefaceret, eosdémque apud Regem tueretur & protegeret. Id cùm exemplis multis notum omnibus & testatum facere possim, unico, brevitatis causa, contentus ero.

LXXIV. A Bigotio Gorgiam quendam in vicis & quadriviis profitente ita privatim & publicè lacessitus convitiis-

Digitized by Google

que appetitus fuerat, & ſcripto apud exteros traductus, ut meritò eum odio proſequi poſſe videretur. Nam & Philippum Melancthonem calumniis ita illi infeſtum reddiderat ut is nimiùm credulus & facilis ea de ipſo ſcriberet quæ nos, propter publicam literarum cauſam, non ſine gemitu legere poteramus. Nempe Caſtellanum ex eo calumniatorum eſſe genere qui, invidia concitati, mendaciis confictis bonas cauſas apud Reges oppugnarent & deteriores redderent. Argumento eſſe Bigotium, quem ille philoſophia Ariſtotelica præſtantem, ne ſibi & ſuæ gratiæ obeſſet, eum odioſum Regi reddere meditaretur. Ariſtotelem, quòd laudato paucorum & populi principatu unius imperium improbaſſet, apud Regem graviter criminatus eſſet. Quod totum cùm eſſet vaniſſimum & à Caſtellano Ariſtotelem amante & admirante alieniſſimum, nec minùs improbè à Bigotio confictum quàm à Melancthone leviter literis mandatum, Bigotium tamen poſtea in gratiam receptum Regi commendavit, atque illi quæ à Rege petebat apud Nemauſenſes impetravit.

LXXV. Sed ut unde ſumus digreſſi revertamur, cùm ad perfectiſſimam quandam ſpeciem, quàm animo incluſam omnibus hominibus re ipſa ſpectandam exhi-

Digitized by Google

bere cupiebat, magni Eleemosynarij munus revocaret, eòque tanta diligentia, industria, labore incumberet ut brevi propter summam auctoritatem & gratiam voti compos futurus videretur, angebatur plurimùm quòd cùm hujus rei causa nunquam ferè aula abesset, boni pastoris munus apud oviculas suæ fidei commissas implere non posset. Quò adeundi cùm ægerrimè veniam à Rege impetraret, frequenter optare solebat ut ea disciplinæ ecclesiasticæ morúmque ordinatio Dei miseratione contingeret, ut qui Ecclesiis præsunt, præsentes eas administrare cogerentur. Quòd si qui essent quorum ministerio assiduo Rex carere non posset, eos ipse suis opibus, non Ecclesiarum censu & pauperum bonis, aleret. Id cùm in tam desperato rerum omnium statu non esse sperandum aliquando eum admonerem, fratris ejus & clientum rogatu orare enixè cœpi ut quod interim unicum huic malo remedium videbatur, alium episcopatum non procul ab iis locis situm in quibus Rex plurimùm versari consuevisset, Matisconensi relicto, quæreret. quam ad rem cùm Aurelius scholæ juris celebritate & civium honestorum frequentia ornatissimus, in regni medio situs, & iis locis vicinus quibus Rex delectaretur, admodum apposi-

tus videretur, quo propter has ipsas causas diversa omnia sectans, qui obtinebat, se abdicare cuperet, magnis eum & importunis precibus demum impulimus ut resignata abbatia Belloperticensi & Matisconensi pontificatu Aurelium obtineret.

LXXVI. Quo tempore cùm propter inimicitias, quas iniquè nobiscum Romanus Pontifex exercebat, esset à Rege prohibitum ne quis pecuniam ullam è Gallia Romam asportaret, sine qua bulla pontificia regiæ renuntiationis confirmatrix Roma frustra speraretur, nollétque homo disciplinæ ecclesiasticæ observans nisi Romani Pontificis auctoritate in ejus possessionem mitti, certo extra ordinem privilegio à Rege impetravit uti necessaria ad eam rem omnia diplomata Roma petere sibi liceret. Quæ ubi Romæ peti cœpta sunt, Romanos argentarios ex earum rerum nundinatione magna commoda capientes lætitia non aliter incessit quàm quibus post longam obsidionem inedia pressis magna frugum omnium copia pulsis hostibus importatur. Etenim viri tantæ auctoritatis exemplo apertis, ut sperabant, pecuniæ Gallicæ fontibus, quibus per trimestre regio jussu obturatis suos rivos propemodum exaruisse ingemuerant, quasi nova quædam lux post densas diuturnás-

que tenebras de cœlo repente affulsisset, insitato gaudio non efferri & serio triumphare non poterant. Ipse etiam summus Pontifex & totus purpuratorum patrum senatus ex eadem re non parum recreati sunt, quòd per clarissimum virum Regíque valde gratiosum, tanquam aperta fenestra, futurum sperarent ut brevi totum Franciæ regnum Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, ut antè consueverat, amplecteretur. Ita quatuor ferè aureorum millibus Romam missis, citò & facilè diplomata impetrata sunt. Iis in possessionem ingressus, quo tempore Rex expeditionem Germanicam suscepturus ex Ambasia per Aureliam iter faciebat, cùm ad fines Aurelij episcopatus eum deduxisset, ad sui populi mores doctrinámque & de religione persuasionem cognoscendam, emendandam, atque in gradum reponendam duos menses ab eo impetravit. Sic igitur ab aulicis occupationibus liber, doctrinæ & vitæ sui populi cognitionem instaurationémque à capite, hoc est, à sacerdotibus exorsus, eorum qui nullam certam stationem habentes, velut errones circumforanei, Missas undiquaque aucuparentur, tantum numerum intra dies quindecim episcopatus sui finibus exegit ut ex iis justus propemodum exercitus cogi posse videre-

tur. Quibus exigendis hanc tamen moderationem adhibuit ut cùm eos interrogatos, literarum omnium ignaros, omnium ſordium maculis infames, nulli certo homini aut loco auctoratos, mercedula ſe veluti venales ad ſacra obeunda obtrudere didiciſſet, ſingulis ad remigrandum in patriam pecuniam, quanta ad iter conficiendum ſatis eſſet, diſtribueret.

LXXVII. In hac meditatione, cura, omnibúſque officiis quæ boni Epiſcopi propria ſunt cùm ita verſaretur ut etiam frequenter ad populum de religione verba faceret, ſemper docendo, adhortando, corrigendo, meditando, ſcribendo, dictando ita occupatus eſſet ut ad ſomnum & quietem vix duas horas, ad cibum autem capiendum vix unam ídque ſerò ſub multam noctem ſibi concederet, corpore nimia inedia debilitato & importunis aſſiduíſque laboribus fracto, dum ad populum concionaretur, in morbum violentum, quo ſtatim interiit, prolapſus eſt. Morbus paralyſis, quæ ſtatim in apoplexiam converſa eſt, fuit, qua latus ſiniſtrum primò, deinde dextrum fluxione obſtupefactum, omnis motus vi orbatum eſt. Deinde & nervi linguam & pectus moventes reſoluti reſpirationem ita intercluſerunt ut nihil proficientibus remediis à medicis tribus

adhibitis, ante triduum ſuffocatio ſecuta ſit. Optima corporis conſtitutione & natura morbis minimè obnoxia præditus erat. Vnde facilè creditum eſt vivere potuiſſe ſi iis auxiliis quæ ei morbo profligando idonea & efficacia ſunt uſus fuiſſet, nempe ſi validis clyſteribus alvus ſtatim dejecta, aperta vena, ſanguis miſſus, & vigilando, cibóque & potu aliquantiſper abſtinendo, variis frictionibus & linimentis ad ignem partes affectæ illi exercitæ fuiſſent. Quorum omnium à medicis nihil propemodum adminiſtratum eſt. Nam & cœnare morbo correptum & ſomnum capere permiſerunt; & cùm omnia quæ à nobis enumerata ſunt prætermiſiſſent, nihil ei præter pillulas quaſdam per noctem deglutiendas præſcripſerunt.

LXXVIII. Morbi cauſam frigidam pituitam in ventriculis cerebri redundantem ex vigiliis intempeſtivis, quibus libris affixus ſe conficiebat, laboréque immoderato, & victus ratione non admodum conſentanea, extitiſſe credi poteſt. Nam cùm nocte concubia ſomno excitatus in horam decimam immobilis commentaretur aut legeret, & reliquum diei, varia negotia ſine ulla intermiſſione obeundo, in horam propemodum quintam cibo abſtinens tranſmitteret, homo natura alio-

qui biliofus, ſtomachum fame latrantem non poterat non graviter offendere: qui cùm alimenti inopia, vitioſis humoribus undequaque contractis, occupatus & obtuſior redditus, cibum largiùs in cœna ingeſtum conficere non poſſet, pituitæ & vitioſorum humorum in ſtomacho accumulatam ingentem copiam per venas in omnes corporis partes dimittebat. Huc adde quòd circa decimam matutinam vini meri cyphum cum panis ſecundarij fruſtulo ebibendo & ventriculi tunicas venáſque & nervos lædebat, & cùm à cibo ſtatim ad ſomnum ſe conferret, neque juſto tempore ſomno & quiete uteretur, non poterat non laborare cruditate graviſſima. Quam vitæ rationem cùm valde inſalubrem eſſe eum frequenter admonuiſſemus, & rationibus etiam conviciſſemus, quod & agnoſcere coactus nonnunquam mutare velle præ ſe ferebat, ne tamen crapulam, ut loquebatur, ſemper exhalans ſtudiorum ſuorum curſum interrumperet, aut ad obeunda uſitata negotia imparatior eſſet, inſtitutum ſemper retinuit.

LXXIX. Paucis ante mortem horis, cùm omni ferè membrorum motu & ſenſu defectus, mente autem incolumi, mortem inſtare videret, famulóſque circa lectulum ſuum ubertim flentes animadverteret, in-

tentis digitis & certis oculorum motibus eos Lopino, quo ab epiſtolis diuturno tempore diligentiſſimo, abſtinentiſſimo, & fideliſſimo uſus erat, annulo inſuper quem digito geſtabat illi tradito, commendare nunquam deſtitit, donec ille eos ſibi curæ fore & ejus nomine ſe Regi, Reginæ, & ſorori regiæ Margaretæ diligenter commendaturum eſſe polliceretur. Quibus cùm ille adderet facilè futurum eſſe ut in ejus memoriam & gratiam procerum omnium in aula benevolentia & favore protegerentur, animi ſui ſalutem tantùm Deo commendaret, oculis ad cœlum converſis, & digitis quantum poterat arrectis, ingentibus editis ſuſpiriis, donec mens conſtitit, Dei miſericordiam implorare & ſe tanquam volentem ad mortem offerre, quod ab initio morbi fecerat, perſeveravit. Nam eo ſtatim correptus, cùm incurabilem eſſe cognoſceret, non ſe mortem reformidare, nec ſibi dolere quod è vita diſcedendum eſſet, pronuntiaverat, ſed quia quod ad Dei gratiam ſuámque & ſui populi ſalutem animo deſtinaſſet inchoatum relinquere cogeretur. Quando tamen Deo optimo maximo aliter viſum eſſet, qui per magis idoneos, quando vellet, quæ inſtituerat meliora & perfectiora omnia redderet, ſe mortis vadimonium obire paratiſſimum eſſe.

LXXX. Mortuus eſt III. Non. Febr. per noctem, hora ſecunda. Quo tempore quid per ſomnium mihi acciderit, non alienum hoc loco commemorare videtur. Pompæ funebris maximæ ſpecies, in qua etiam equi atrati longo ordine deducerentur, qualis in Principum exequiis viſitur, mihi obſervari viſa eſt; in quam mihi quoque cùm properandum eſſet, in Marilliacum Epiſcopum Vannenſem Legatum apud Cæſarem regium incidere viſus ſum. Quem cùm ſalutaſſem, rogaſſémque eccuinam iſta funebria juſta pararentur, reſpondiſſétque ille ſibi nondum conſtare, ſtatim ubi Rex adveniſſet intellectum iri, ecce quod nobis valde novum & inſolens fuit, ſeſe Caſtellanus offert habitu admodum & veſtitu inſolenti, pileo parte ſui dimidia poſteriore demiſſa, veſte nigra, ſed lymbis purpureis circumducta, parum ultra poplites ſuras attingente, digitis annulos gemmis diſtinctos, & ſicam deaurato manubrio è zona in genua dependentem geſtans; ad quem novo ſpectaculo excitati cùm adiiſſemus, rogaſſemúſque ecquid hic ornatus inſolens ſibi vellet, arridens ille ſicam è vagina eduxit, & pectori meo cuſpidem intentans, cùm retrocedentem, ut ictum declinarem, videret, ſubridens, non eſſe cur metuerem

aut valde commoverer, admonuit, cùm hæc ſica non altum vulnus mihi inflictura eſſet. Quo viſo ita ſum exterritus ut lectulo exiliens, priuſquam tria ſpatia in cubiculo confeciſſem, quod vidiſſem ſomnium eſſe mihi perſuadere non potuerim.

LXXXI. Mortem ejus Rex ipſe & utriuſque ſexus Principes in aula proceréſque graviſſimè tulerunt. Ipſa verò Margareta Regis ſoror, quæ multis annis in literis eo præceptore uſa fuerat, tam dolenter tulit ut multis diebus vim lachrymarum maximam aſſiduè profundens, & luctu lamentíſque omnia complens, vix cibum & ſomnum animo tranquillo caperet. Cardinalis autem Lotharingus, qui optimam Eccleſiæ ordinationem ipſo adjutore aliquando animo agitaret, tanta & ipſe triſtitiæ ſignificatione ejus mortem proſecutus eſt ut multis audientibus ſe quod damnum immaturo ejus interitu feciſſet, ſi Deo ita viſum eſſet, bona ſui cenſus annui parte lubenter redempturum profeſſus ſit. Rex autem, Margaretæ ſororis ſuæ pio admonitu & rogatu, fratris ejus filiis in mortui memoriam è ſacerdotiis ejus quod omnium optimum eſſet attribuit, ut ad ſingularem doctrinam virtututémque patrui ſui alacriter aſpirarent; neque anno ferè toto, quòd ſe neminem un-

quam illi virtute & doctrina parem in ſuo regno inventurum ſperaret, in ejus locum, quem magni Eleemoſynarij titulo exornaret, quemquam cooptavit. Quæ cùm ad gloriam ejus haudquaquam vulgarem faciant, tum verò vel ex eo immortalitatem mihi conſequutus videtur quòd veri & Chriſtiani Pontificis officio fungens, Chriſti Imperatoris ſui vexilla geſtans, & ejus gladio utrinque acutiſſimè incidente divino verbo cum hoſtibus ejus fortiter dimicans, veluti devota Deo hoſtia in ipſis aris cæſa pulcherrimo certamini immortuus ſit.

FINIS.



Digitized by Google

STEPHANI BALVZII

TVTELENSIS

NOTÆ

AD GALLANDIVM.

STEPHANI

Digitized by Google



STEPHANI BALVZII

TVTELENSIS

NOTÆ AD GALLANDIVM.

CAP. II.



VRRELLO] *Pierre Turreau, estimé des principaux devineurs de son temps*; ut ait Theodorus Beza lib. II. hist. ecclesiast. ad ann. 1549.

CAP. VII.

AD ERASMVM] Extant inter Erasmi epistolas duæ ad Castellanum tum juvenem; in quarum una eum vocat Castellanum, in alia Petrum à Castello. Video eum, quia notior est sub nomine Castellani, vulgò *Castellan* vel *Chastellain* vocari etiam ab hominibus qui eodem cum illo vixere seculo; cùm tamen certum sit ex tabulariis Ecclesiarum Tutelensis & Matisconensis, tum etiam ex veteribus libris archivi regij Parisiensis, & ex testimonio San-Iuliani & aliorum, ei nomen Gallicè fuisse *Du Chastel*. Quod heic semel admoneri debere visum est, ne quis deinceps in hoc fallatur.

CAP. XI.

EPISCOPO PICTAV] Ludovico Hussonio filio Ludovici Comitis Tornodorensis (*Ton-*

nerre) & Franciscæ de Rohano; qui postea, relicta episcopali cathedra, nondum videlicet consecratus, matrimonium iniit anno MDXXXII. & quinquennio pòst obiit Avenioni. Vide infrà cap. XXII. & XXIV.

CAP. XII.

EPISCOPVS ALTISSIODOR.] Franciscus Dintevilla istius nominis secundus, cujus epistolas de legatione Romana edidit Augustæ Tricassium Nicolaus Camuzatius.

CAP. XIX.

FORESTANVM] *La Forest.* Vide infrà capite XXII.

CAP. XXII.

EPISCOPO VAVRENSI] Georgio Selua, viro clarissimo, variis legationibus functo apud exteras gentes nomine Regis Francisci primi. Tandem persuasus à Bunello, ut arbitror, Episcopum domi debere fungi legatione Christi, non verò legationibus regiis alibi occupari, Vaurum secessit, ibique obiit anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo. Hinc invidia in Bunellum, tanquam is pessimi consilij auctor optimo antistiti fuisset. *Duo sunt*, inquit Bunellus in epistola ad Arnoldum Ferrerium, *hominum genera quos mihi succensere minimè miror & non ita molestè fero. Vnum est eorum qui Vaurensem antistitem Vaurum secedere molestè ferebant. Quod perinde est atque si ducem exercitus in castra venire, in acie versari, cum hoste, si res ferat, confligere nunquam patiare. Sed interim quid mihi vitio vertant, satis intelligere non possum. Georgius Selua Vaurensis antistes religionem Christianam suis & suorum commodis, divina humanis, aeterna caducis praetulit. Quid ad me? Si hoc mihi tri-*

buunt, rerum pulcherrimarum auctorem me laudant. quod ego neque agnosco, neque sanè mihi tribui postulo. Tum in epistola ad Episcopum Tarbellorum Regis Galliarum apud Cæsarem Legatum, in qua eum hortatur ut, dimissa legatione regia, redeat ad gregem suum, etiam præclarissimi exempli mentionem ei ob oculos ponit. *Patronus meus*, inquit, *cùm Vauri officium suum bonis omnibus approbantibus faciebat, plus operæ in communem hominum utilitatem conferebat quàm si jussu Regis proficiscatur in Germaniam.*

CAP. XXII.

IACOBVS COLINVS] Abbas sancti Ambrosij Bituricensis, vir (ut ait Sleidanus lib. XIX.) doctus & in lingua populari mirabiliter facundus, ad quem extat epistola Petri Danesij elegantissima inter epistolas clarorum virorum editas Parisiis anno MDLVI. Narrat autem Petrus à sancto Iuliano in præfatione ad historiam Burgundionum, cùm incidisset quæstio quædam inter eum & Castellanum coram Francisco primo, Colinúsque librorum auctoritate tantùm uteretur, Castellanus verò, qui rem, de qua agebatur, etiam oculis usurparat, sua auctoritate testibúsque approbasset vera his libris non contineri, tantam hinc istum gratiam assecutum esse apud Regem ut in aula manere jussus sit, indéque episcopatu Tutelensi donatum.

CAP. XXX.

MAGISTRI EQVITVM] *Connestable.* Is fuit Annas Monmorancius, penes quem tum summa imperij fuit sub Francisco primo.

PRÆFECTVRA ENVAONIENSI] in diœcesi Lemovicensi, vulgò *la Prevosté d'Esvon,* ut in veteri libro archivi regij Parisiensis scriptum

vidi. Hodie *Esuaus*. Chronicon sancti Petri vivi Senonensis pag. 759. *Abbas secunda septimana quadragesima egressus à Mauriaco Comitissam matrem Comitis, quia Comes Romam erat, adiit. Quæ dedit ei consilium ut ad castrum quod Evan vocatur in Lemovico pago iret.* Bernardus Guidonis Episcopus Lodovensis in Nominibus sanctorum Lemovicensium: *Sanctus Marianus reclusus multos usque hodie vocat ad reclusorium suum in territorio Bituricensi. Corpus tamen ipsius apud Envaonium est sepultum.* Gregorius Turonensis in libro de gloria Confessorum cap. LXXXI. loquens de sancto Mariano: *Tunc viri qui advenerant, elevantes, attulerunt ad vicum Evaunensem; quem ablutum atque indutum vestibus sepelierunt in Ecclesia.* Porrò quæ nunc præpositura tantùm est, vetustis temporibus abbatia fuit; ut docent acta quæ sequuntur, descripta ex Chartulario Ecclesiæ Tutelensis fol. CXXVII. *Sciant nostri præsentes & posteri quia ego Boso Abbas laicus monasteriorum Rosuliensis & Evanensis, frater Rainaldi Albuciensis, cedo sancto Martino & monachis ejus in monasterio Tutelensi sibi servientibus, in vicaria Vsercensi, in parrechia de Vlciaco, in loco qui vocatur Cavus mons, plantadam meam & mancipia mea, quæ ipsius vineæ cultores debent existere. Facta est cessio ista in mense Novembrio, regni Ludovici anno* VIIII. *testibus Ebalo, Frotario, Vuitardo, Ermenrico, Girberno, Bosone.* Item in eodem libro fol. CLXXXII. *Sciant nostri præsentes & posteri quòd ego Boso Abbas laicus monasteriorum Rosuliensis & Evanensis, frater Rainaldi Albuciensis, cedo Deo & sancto Martino & monachis ejus in monasterio Tutelensi sibi servientibus curtem meam*

quæ vocatur Spinacias &c. Acta hæc anno DCCCCXLIV. Præpoſitura tantùm erat anno MCCLXVII. ut colligitur ex arreſto parlamenti Pariſienſis edito à viro clariſſimo Chriſtophoro Iuſtello in probationibus hiſtoriæ Arvernicæ pag. 57. in quo præterea legimus locum ipſum eſſe in Baronia Combraliæ, & Præpoſitum tenuiſſe in feudum & homagium ligium ab Epiſcopo Lemovicenſi quidquid apud Evahonium habebat. Porrò præpoſitura Envaonienſis unita eſt ab aliquot annis congregationi Canonicorum regularium ſanctæ Genovefæ.

EPISCOPATV TVTELENSI] *Tulle en Limouſin.* Contigit iſtud anno MDXXXIX. quo Iacobus Hamelinus Epiſcopus Tutelenſis & primus Franciſci Regis Eleemoſynarius obiit in civitate Senonum, ibidem ſepultus apud Franciſcanos. Nam eodem anno, VII. Idus Auguſti, Dionyſius Faucherius monachus Lerinenſis gratulatoriam ad Caſtellanum epiſtolam dedit de hac nova dignitate adepta; ubi tamen perperam, vitio fortean librarij, ſcriptum eſt *Epiſcopo Tullenſi*, pro *Tutelenſi.* Edita eſt epiſtola illa à Vincentio Barrali in Chronologia Lerinenſi parte 2. pag. 292. Suffraganeum porrò illic habuit Caſtellanus Gulielmum Piatum Epiſcopum Tharſenſem, ut invenimus in veteribus libris illorum temporum. Reliquit epiſcopatum Tutelenſem pro Matiſconenſi anno MDXLIV.

ABBATIA BELLOPERTIC.] *Belleperche* in diœceſi Montalbanenſi. Verum porrò eſſe non poteſt eum epiſcopatu Tutelenſi & abbatia Belloperticenſi donatum eſſe intra unius anni ſpatium. Nam ex epitaphio Ioannis de Cardalhaco, quod editum eſt in tomo quarto Galliæ Chriſtia-

næ, constat eum fuisse Abbatem Belloperticensem ab anno MCCCCLXXXIV. usque ad annum MDXLIII. exeuntem. Itaque Castellanus ea abbatia donatus non est nisi sub finem istius anni, hoc est, ferè quinquennio postquam donum episcopatus Tutelensis acceperat.

CAP. XXXI.

SACERDOTIIS ORNARENTVR] Verum istud esse confirmant literæ Francisci Regis datæ anno MDXLV. in gratiam Professorum regiorum, in quibus adnotatum est iis, dum darentur, præsentem adfuisse Episcopum Matisconensem. Eæ sic habent in libro authentico archivi regij Parisiensis.

CARTA PRO PROFESSORIBVS & Lectoribus Collegij Regalis Parisius.

FRANCOIS &c. Sçavoir faisons à tous presens & à venir que nous considerans que le sçavoir des langues, qui est un des dons du saint Esprit, fait ouverture & donne le moyen de plus entiere connoissance & plus parfaite intelligence de toutes bonnes, honnestes, & saintes & salutaires sciences, & par lesquelles l'homme se peut mieux comporter & conduire & gouverner en tous affaires, soient publiques & particulieres, avons singulierement desiré pour l'honneur de Dieu, & pour le bien & salut de nos sujets fait faire plainement entendre à ceux qui y voudroient vaquer les trois langues principales Hebraïque, Grecque, & Latine, & les livres esquels les bonnes sciences sont le mieux & le plus profitablement traittées; à

laquelle fin, & en ensuivant le Decret du Concile de Vienne, nous avons pieça ordonné & étably en nostre bonne ville de Paris un bon nombre de personnages de sçavoir excellent, qui lisent & enseignent publiquement & ordinairement lesdites langues & sciences, maintenant florissant autant ou plus qu'elles ne firent de bien long-temps; dont nous rendons graces à Dieu nostre Createur, & mesme de ce qu'il luy a pleu que de nostre temps & par nostre moyen ce grand bien soit advenu; ausquels nos Lecteurs nous avons ordonné honnestes gages & salaires, & iceux fait pourveoir de plusieurs beaux Benefices, pour les entretenir & donner occasion de mieux & plus continuellement entendre au fait de leur charge. Toutefois nous sommes deuëment avertis que à l'occasion de leursdits Benefices, patrimoines, & biens ils sont en voye d'estre souvent distraits de leur profession, & travaillez pardevant divers Iuges & en divers ressorts, qui ne pourroit estre sans grand dommage de la chose publique & frustration de nostre vouloir, desir, & intention. Pour ce est que nous desirans cette tant bonne & tant sainte entreprise de connoissance de langues & de tout bon sçavoir estre tousiours de mieux poursuivie à l'honneur de Dieu le Createur, utilité des hommes, & memoire de nous, avons de nostre grace speciale, propre mouvement, certaine science, pleine puissance & auctorité royale, voulu & ordonné, voulons & ordonnons par Edit perpetuel & irrevocable que toutes & chacunes les causes possessoires, personnelles & mixtes de nosdits Lecteurs, c'est à sçavoir, Maistres François Vatable, Paul Paradis, Alain Restaut dit de Caligny, Lecteurs en Hebreu, Iacques Thouzat, Iehan Stracel, Denys Arron, Le-

cteurs en Grec, Oronce Finé, Pascal du Hamel; Lecteurs és Mathematiques, Vidal Viduro en Medecine, François de Viromercato en philosophie, Pierre Galand és lettres Latines & humaines, & Angelo Vergetio nostre Escrivain en Grec, & tous autres qui seront par cy-apres par nous ou nos successeurs appellez au lieu & pareille charge que nosdits Lecteurs & Escrivain, tant durant le temps qu'ils liront, feront & exerceront lesdites charges, comme par apres que par ancien aage, maladie ou autrement, ils ne pourront plus bonnement y vaquer, seront traittées, jugées, decidées & terminées par nos amez & feaux Conseillers les gens tenans ou qui tiendront les Requestes de nostre Palais à Paris, & autres Chambres des Requestes par nous crées & érigées en chacun de nos Parlemens respectivement, & selon ce que les personnes contre lesquelles nosdits Lecteurs & Ecrivain auront à besogner y seront demourans, ou les choses dont question scituées & assises, ausquels nos Conseillers & chacunes desdites Chambres en son regard nous avons commis & commettons par ces presentes toutes lesdites causes de nosdits Lecteurs & Escrivain presens & à venir, personnelles, possessoires & mixtes, meües & à mouvoir, tant en demandant qu'en defendant, entieres & non contestées, soit pour raison de leurs patrimoines ou Benefices par nous à eux donnez ou autres, & generalement de tous droits, noms, raisons, actions, & poursuites, en quelques maniere & contre quelques personnes que ce soit, pour y estre traittées, jugées, determinées, & d'illec par appel en nos Cours de Parlement où lesdites Chambres sont ou seront respectivement établies, sans qu'ils soient tenus plaider ailleurs, si bon ne leur semble. Si donnons en mande-

ment & commettons par ces presentes à nostre amé & feal Chancelier, à nos amez & feaux Conseillers tenans nosdites Cours de Parlemens, Requestes de nostre Hostel, de nostre Palais à Paris, & autres Chambres des Requestes par nous érigées, & à tous nos autres Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, que nos presente grace, Edit, privilege, & octroy ils faßent lire, publier, & enregistrer en leursdites juridictions, & de tout le contenu en ces presentes ils faßent, souffrent, & laissent nosdits Lecteurs & Ecrivain & leurs successeurs esdits Estats à tousioursmais joüir & user plainement & paisiblement, sans en ce leur faire ny souffrir estre fait, mis, ou donné ores ne pour l'avenir aucun détourbier ou empeschement au contraire; ains si fait, mis, ou donné avoit esté, le facent oster & remettre incontinant & sans delay au premier estat & deu. Car tel est nostre plaisir. Nonobstant quelconques établissemens de juridictions, ordonnances, restrictions, mandemens, ou lettres à ce contraires. Et pour ce que de ces presentes l'on pourra avoir affaire en plusieurs & divers lieux, nous voulons que au vidimus d'icelles foy soit adjoustée comme à ce present original. Et afin que ce soit chose ferme & stable à tousiours, nous avons signé ces presentes de nostre main, & à icelles fait mettre nostre grand seel. Donné à Paris au mois de Mars l'an de grace mil cinq cens quarente-cinq, & de nostre Regne le 32. Ainsi signé: *Par le Roy, l'Evesque de Mascon present,* DE L'AUBESPINE.

CAP. XXXII.

GYMNAS. TRANS SEQVAN] Hujus rei locupletissimum testem habemus ipsummet Castellanum in oratione prima quam habuit ii. fu-

nere Francisci primi ; ex quo acceperunt quæ de isto Regis optimi consilio scribunt Sleidanus lib. XIX. & Belleforestius in annalibus Franciæ ad annum MDXLVII. Sed nullus istius rei luculentior testis esse potest ipso Rege Francisco, cujus literas de hoc collegio ædificando eo loco ubi olim erat palatium Nigellense, *le Palais de Nesle*, ubi verò nunc fatali quadam sorte ædificatum est collegium Mazarinum, reperimus in veteri codice MS. bibliothecæ Colbertinæ, dignas profectò quæ ad perpetuam laudem maximi Principis in lucem prodeant.

Commission pour faire le paiement du bastiment que le Roy veut faire faire en l'Hostel de Nesle à Paris.

FRANCOIS &c. à nostre amé & feal Conseiller, General de nos finances, & Tresorier de nostre espargne Maistre Guillaume Preudhomme, salut & dilection. Comme nous avons sur toutes aultres choses singulierement desiré les bonnes letres, qui par un long temps ont esté discontinuées ou peu honorées en nostre royaulme, estre de nostre temps restaurées & ramenées en lumiere pour l'instruction & edification des bons esperits & professeurs en toutes sciences. A quoy nous avons mis toute la dilligence à nous possible, & en ce faisant introduict plusieurs bons notables personnaiges de grant sçavoir & experience és trois langues principalles, lesquelles sont aujourd'huy par nostre royaulme plus que en nul autre cellebrées & decorées à la grande repputation d'icelluy & loüenge immortelle de nous, qui voullons mieulx

que jamais continuer ce tant loüable œuvre & donner toutes les commoditez necessaires aux Lecteurs & Professeurs esdites letres pour vacquer à leurs lectures, études, & professions. A ceste cause nous avons deliberé & resollu de leur construire & edifier en nostre logeis & place de Nesle à Paris & aultres places qui sont à l'entour, que nous avons fait marcquer, un beau & grant colleige, qui sera appellé le College des trois langues, acompaigné d'une belle & somptueuse Eglise, avec aultres ediffices & bastimens, dont les pourtraicts & desseings ont esté faicts & progettez. Et daultant que pour tenir le compte & faire la distribution des deniers qu'il conviendra employer és ouvrages dessusdits il est bien requis commettre & deputer quelque bon & suffisant personnaige, savoir faisons que pour le bon & loüable rapport qui faict nous a esté de la personne de nostre cher & bien amé Audebert Catin, & de ses sens, suffisance, experience ou faict des finances, loiaulté, preud'hommye, & bonne dilligence, icelluy pour ces causes & aultres à ce nous mouvans avons commis, ordonné, & depputé, commettons, ordonnons, & depputons par ces presentes à tenir le compte & faire les paiemens de la despense necessaire pour les dessusdits bastimens, ouvraiges, & edifices, & dependances d'iceulx, des deniers qui luy seront par nous ordonnez, appoinctez, & assignez; & ce selon & en ensuivant les roolles, prix, & marchez qui seront faits & arrestez par nos amez & feaulx Conseillers Nicolas de Neufville Chevalier sieur de Villeroy Secretaire de nos finances & Iehan Grollier Tresorier de France, ou l'ung d'eulx en l'absence de l'aultre, & par le contrerolle de nostre cher & bien amé Varlet de Cham-

bre Pierre des Hostels Contreroolleur ordinaire de nos bastimens; lesquels & chascun d'eulx respectivement nous avons à ce faire commis & depputez, commettons & depputtons par cesdites presentes; Voullans que lesdits paiemens, qui suivant lesdites ordonnances, prix, & marchez desdits de Neufville & Grollier, ou l'vng d'eux en l'absence de l'aultre, seront faits par ledit Catin & contrerollez par ledit Pierre des Hostels, soient passez & alloüez és comptes d'icelluy Catin & rabbatus de la recepte d'icelle commission par nos amez & feaulx les gens de nos Comptes, ausquels nous mandons ainsi le faire sans difficulté; en rapportant sur iceulx comptes cesdites presentes signées de nostre main ou vidimus d'icelles faict soubs seel royal pour une fois, les quittances des parties où elles escherront, ensemble les dessusdites ordonnances, prix, & marchez signez & contreroollez ainsi & par la forme & maniere que dict est; lesquels nous dés à present comme pour lors vallidez & auctorisez, vallidons & auctorisons, & voulons estre de mesme effect & valeur comme si par nous avoient esté faicts & ordonnez, à quelque somme que le tout soit & se puisse monter. Sy vous mandons que dudict Audebert Catin prins & receu le serment en tel cas requis & accoustumé, icelluy faictes, souffrez, & laissez joir & user de ceste nostredicte presente charge & commission plainement & paisiblement & icelle tenir & exercer aux gaiges & tauxations qui par nous luy seront ordonnez. Car tel est nostre plaisir. Nonobstant quelsconques ordonnances, restrinctions, mandemens, ou deffenses à ce contraires. Donné à Villers couste Raiz le XIX. *jour de Decembre l'an de grace mil cinq cens* XXXIX. *& de nostre regne*

le XXV. Ainsi signé: *FRANCOIS. Par le Roy, le Seigneur de Montmorency Connestable de France present*, BOCHETEL. *Et scellée de cire jaulne sur simple queüe.*

CANCELLAR. AGEBAT] Poïetus.

CAP. XXXV.

PVRPVREI GALERI] Robertus Stephanus in Responsione pro Bibliis suis pag. 36. conqueritur se desertum in hac causa à Castellano, ab eóque in prædam expositum Theologis, *quibus tunc plus justo spe emerendi galeri inserviebat, licèt illis infensissimus.*

CAP. XXXVII.

RER. CLAVVM TENENTES] nimirum Cardinalis Turnonius, ut docet Thuanus.

NAVARRÆ REGINA] Margareta, Francisci primi Regis soror.

CAP. XXXIX.

DOLETVM L. CARC.] Doletus in carcerem conjectus est Tolosæ jussu Dampmartini, in quem propterea atrox carmen scripsit, circa annum MDXXXIV. accusatus Lutheranismi, ut colligitur ex orationibus & epistolis ejus. Evasit tamen judicio Parlamenti. Anno dein MDXLV. die III. Augusti (ut Severtius tradit in Antimartyrologio pag. 475. & in catalogo Episcoporum Matisconensium pag. 229.) Lutetiæ combustus est, de Lutheri secta convictus. Ei hoc epitaphium posuit Theodorus Beza in prima poëmatum suorum editione pag. 51. omissum in secunda.

Ardentem medio rogo Doletum
Cernens Aonidum chorus sororum,
Charus ille diù chorus Doleto,
Totus ingemuit, nec ulla prorsùs
E sororibus est reperta cunctis,

Naias nulla, Dryásve, Nereísve,
Quæ non vel lachrymis suis vel hausta
Fontis Pegasei studeret unda
Crudeles adeo domare flammas.
Et jam totus erat sepultus ignis,
Iam largo madidus Doletus imbre
Exemptus poterat neci videri,
Quum cœlo intonuit severus alto
Divorum pater, & velut perægrè
Hoc tantum studium ferens sororum,
At cessate, ait, & novum colonum
Ne diutiùs invidete cœlo.
Cœlum sic meus Hercules petivit.

CAP. XLII.

IN BRITANN. REGIS SENTENTIAM] Fiebant ista à Rege Anglo ut Franciscum sollicitaret ad defectionem à Romano Pontifice. Sed Franciscus nihil novari passus est in regno suo de rebus ad religionem Dei pertinentibus. Testatur illud Petrus Danesius in oratione quam habuit ad patres Concilij Tridentini: *Sæpius enim omni ratione tentatus, & multis invitatus nec iis vulgaribus commodis ut aliquid auderet aliquando, nec editum ab altero exemplum dubitaret sequi, perstitit in sententia.* Manifestiùs verò Reginaldus Polus Cardinalis in libro primo de unitate ecclesiastica ad Henricum VIII. Regem Angliæ: *Quid est quòd ex his qui hodie vivunt Principibus, qui à te nunc de tuo hoc tam praclaro invento sunt admoniti, quod tantopere ad ipsorum honorem simul & commodum pertineat, nemo rem approbat, nemo exemplum imitatur? quòd nemo neque amicus neque inimicus tibi inter tot Principes invenitur qui indicatum abs te hunc honoris titulum arripiat? cujus certè nemo non*

maximè cupidus esset, si vel jure sibi deferri vel rectè à se suscipi posse arbitraretur. Annon vides Christianissimum Regem, tibi ceteris in rebus conjunctissimum, in hac una maximè à te dissentire, neque ullo modo adduci posse ut aut ipse sibi hunc honorem sumat aut te jure eundem sumpsisse judicet? Sed pluribus & abundantiùs hoc argumentum tractat idem Polus in libro tertio ejusdem operis, ac demum sic concludit: *Cognosce ergo postulationis tuæ æquitatem, qui ab illo petas ut tua causa Romani Pontificis Vicarij Christi auctoritatem oppugnet, pro qua fortissimè propugnando majores ejus Christianissimi nomen sibi compararunt, & posteris suis cum regni hereditate reliquerunt. Sed si nihil aliud, nonne tibi spem omnem aliquid ab eo impetrandi contra Ecclesiæ consuetudinem præcidere debebat vox illa ipsius Regis Francisci, quæ nulla unquam majori plausu à populo Christiano est excepta, cùm hoc tuis oratoribus, qui ad res in Ecclesia novandas amicitiæ jure opem ejus & auxilium implorabant, respondit, aliis omnibus in rebus se tibi amici & fratris animum præstaturum, in iis quæ contra religionem fierent obsequi nec velle nec posse, denique usque ad aras constantissimum tibi amicum fore. O vocem dignam eo qui non nomine solùm ac titulo, sed re ipsa Christianissimus erat; ut si majores ejus nunquam antea id nomen habuissent, nunc certè optimo jure decerni illi ac tribui deberet.*

CAP. XLIII.

ABBATIAM ALTOVILLAR.] *Hauvilliers* in diœcesi Remensi, ad eam nominatus à Rege anno MDXLIII. & anno sequenti possessionem adeptus die XV. Februarij, ut docent Sammarthani.

CAP. XLV.

POIETO PECULATUS] Accusatus & in carcerem conjectus est anno MDXLII. nondum tamen peractus est reus, sed anno tantùm MDXLV. Extant acta.

SOPHISTA FAMOSUS] Sic Petrum Ramum vocat Gallandius, ei privatim ac publicè inimicus, ut omnes norunt.

CAP. XLVI.

